QVOD DEUS BENE VORTAT!

DISPUTATIO PHYSICA
De
CHYLO,
cumprimis in corporibus Hominum qvi eſt;

Qvam

IN ILLUSTRI SALANA

PRAESIDE

AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

VIRO

DN. CASPARE POSNERO,

PHILOSOPHIAE NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO CELEBRATISSIMO,

Praeceptore, Promotore ac Hoſpite ſuo ſummâ ſemper obſervantiâ proſequendo,

Publico eruditorum examini ſubmittit

PHILIPPUS MARCUS MARCI,

OHRDRUF. THUR. MED. STUD.

AUCTOR,

Ad diem VII. Aprilis,

Horis locoque ſolitis.

JENAE

STANNO VVERTHERIANO,

ANNO M. DC. LXVI.

ILLUSTRISSIMO ac GENEROSISSIMO

COMITI ac DOMINO

DOMINO JOANNI FRIDERICO,

COMITI ab Hoënloe & Gleichen/ DYNASTÆ IN Langenburg & Kranichfeld/ &c. &c.

Comiti ac Domino meo Clementiſſimo

has ſtudiorum primitias

humilimâ manu menteque obfero & conſecro

PHILIPPUS MARCUS MARCI, A. & R.

SI qvid in hac rerum univerſitate curioſum, & qvod hominum animis contemplandi anſam præbeat, eſt cumprimis *cognitio ſui ipſius*. Nil enim in toto corpore humano, etiamſi minimum ſit, reperitur, quod non in admirationem rapiat videntes, paulò attentiùs verò conſideratum, Naturæ, ſive potiùs ſupremi Creatoris noſtri Dei, qvinqve virtutes iſtas, qvas in commentario libri περὶ τροφῆς, & operibus aliis, deſcribit Galenus, nimirum πρόνοιαν, σοφίαν, δύναμιν, δικαιοσύνην, καὶ τέχνην, *providentiam, ſapientiam, potentiam, juſtitiam ac artem*, oſtendat atqve loqvatur. Et ne longiûs eamus, ſiſtimus nunc ſaltim primam illam nutritionis materiam, CHYLUM: hujus generationem, motum, ac diſtributionem per varias corporis partes qvis non miretur? Sanè ſicuti *juſtitiæ* erat, homini, cujus corporatura fluxa & mortalis eſt, de mediô, qvô protrahere vitam, & ſervare ſe poſſit, proſpicere, ſic eas partes conſtituiſſe, qvæ ex variis ingeſtis uniformem ſuccum producere, hunc ab inutilibus ſecernere, ſeparatum

aſſumere, provehere, & ad loca neceſſaria adducere poſſint, *actionem* arguit *artis, ſapientiæ, providentiæ & potentiæ plenisſimam.* Ut inde meritò, qui ejus contemplationi incumbit, ſua poſſit facere illa Heracliti, & ad auditores vel ſpectatores exclamare: ΕΙΣΕΡΧΕΣΘΕ. ΕΙΣΙ ΓΑΡ ΚΑΙ ΕΝΤΑΥΘΑ ΘΕΟΙ. INTROITE. SUNT ENIM ET HIC DII. Qvam proinde ob cauſam, & qvoniam illud argumentum ſcitu jucundisſimum, utilisſimum, ideoqve dignisſimum vidimus, placuit in præſenti, pro noſtri ingenii viribus, breviter expendere, & pro Scholarum more commentatione aliqvâ expoſitum, publico eruditorum examini ſubmittere. Quod quidem faciemus votô pientisſimi pariter ac doctisſimi Medici Arabis, Abubetri de Rhazâ, IN NOMINE DOMINI MISERICORDIS MISERATORIS!

§. I.

IN ipsô autem limine dum ſtamus, anteqvàm ad ipſam tractationem accedamus, recordamur meritò præcepti illius Philoſophorum, quô volunt, ἀρχὴν τῆς παιδεύσεως εἶναι τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν, *initium doctrinæ eſſe inqviſitionem nominum.* Oportet enim *ante omnia*, ut in eumdem ſenſum *in exercitationibus de ſubtilitate* ait J. C. Scaliger, *vocis uſum cognoſcere*, utpote *quô ſæpenumero provehimur in rei cognitionem.* Qvô de cum res ſit manifeſtisſima, & in Scholis Logicis Socratis, Platonis, Ariſtotelis & aliorum Sapientum.

entum allegentur teſtimonia plurima, non opus eſt, ut nunc ulteriùs quid addamus. Unius ſolummodò Galeni adducemus teſtimonium, utpote qvi, judicio ingenioſiſſimi Heinſii, & *Medicus* & *Philoſophus ſingularis* fuit, eôqve iſtud confirmabimus. Ἐπὶ πάντων τῶν ζητουμένων, inqvit ille *1. methodi medendi cap. V.* εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβά[illegible] τοὔνομα. *In omnibus, de qvibus qværitur, opor*[illegible] *rationem adſumi ipſum nomen.*

§. II.

Intelligimus autem per CHYLUM *liqvidum illum, albumqve & ſubdulcem humorem, qvi in ventriculo ex coctis cibis atque potu productus, in inteſtinis verò à fecibus ſeparatus, deinde per certa, & in hunc finem ad inteſtina ablegata vaſa abductus, materiam præbet cùm humoribus aliis, qvi in corpore continentur, tùm cumprimis ſangvini, proximo iſti* (ut communis fert opinio) *corporis alimento.* Quô ſcilicet ſenſu hodiè communiter ferè à Phyſicis Medicisqve ſumi ſolet, dum (ut notum eſt) de ipſius *naturâ, materiâ, efficientibus, fine ac uſu*, item de *motu, meatibus, in qvibus vehitur, receptaculô*, & id genus aliis disſerentes, ipſum ſemper pro *peculiari atqve diſtinctô humore, à naturâ propter certum finem factô*, ſumunt; licet in hâc diſputatione in varias diſtrahantur partes, qvemadmodum in ſeqventibus referemus.

§. III.

Ita, inquam, nos id nomen in præſenti cum recentioribus cumprimis Scriptoribus, ſumimus, utut non negemus, etiam aliter ipſum ſumi. Qvemadmodum ſcilicet nullum ferè eſt, in qvâcunqve etiam lingvâ, cujus non plures dentur ſignificationes. Sicut enim

 ex.

ex Græcô in Latinum forum uſu atque conſvetudine introductum eſt, ſic conſtat, Græcos per χυλὸν interdum *qvemvis liqvorem & ſuccum, qvi ſorberi poteſt*, intellexiſſe. Sœpisſimè verò, ut Marcellus Virgilius Florentinus *comment. in Dioſcorid. Lib. I.* adnotavit, Medicis χυλὸς eſt *ſuccus ex plantâ vel aliâ materiâ, manibus, aut torculari, aut igne exE. EIΣI, exudatusqve humor.* In qvem ſcilicet ſenſum G T Fs, utut χυλὸν ſœpies appellaverit *iſtum*, qvem diximus, *ſuccum in animalium ventriculis confectum*, alibi tamen etiam dixit χυλὸν πτισάνης, *ſuccum ptiſanæ*, item χυλὸν στρύχνου, *ſuccum ſolani*, & χυλὸν σταφυλῆς, *ſuccum*, ſive (ut à Ruellio & Plinio vertitur) *melliginem uvæ*, Heſychius verò πεμμάτων ὑγρῶν ἐκπίεσμα, *cupediarum ſive bellariorum ſuccum.* Qvin tàm freqvens eſt ejus vocis in hoc ſenſu uſus, ut etiam Rabbi Moyſes, Medicus Arabs ſexcentis retrò annis clarisſimus, *aphoriſmorum, qvos ex Galeno collegit, Sect. XXII. §. 4. & 5.* ſcribat, *humores, ex plantis expresſos vel elicitos, (non autem ſponte profluentes) propriè chylos, ex adverſô verò ſuccos, humoresve animalium, chymos dici.* Qvin dicta etiam inde ſunt χυλόω, qvod eſt *liqvo, & qvaſi inſucco*; χυλώδης, *ſuccoſus*, & χύλωσις, *ſucci confectio ſive expresſio*, vel, ut Gaza reddidit, *ſuccatio*, qvæ apud Theophraſtum, Dioſcoridem, & alios ſœpè occurrunt.

§. IV.

Legimus porrò, eôdem nomine aliquando etiam *ſaporem* fuiſſe intellectum. Cujus teſtimonium cumprimis præbent illa Theophraſti, qvando *VI. de cauſis plantarum cap. XIX.* inquit: χυλὸς μὲν ἢ τοῦ ξηροῦ καὶ γεώδους τῷ ὑγρῷ ἐναπόμορξις, ἢ ἡ τοῦ ξηροῦ διὰ τοῦ ὑγροῦ διήθησις ὑπὸ θερμοῦ. *Sapor eſt vel ſicci atqve terrei*

in

in humido impreſſio, vel ſicci per humidum percolatio à calidô. Idemqve probant etiam compoſita hæc, ἀχυλία, ἔυχυλος, δυσχυλία, δύσχυλος, quæ paſſim dicuntur, & omnia nomina *ſaporum* ſunt. Ut hôc ſignificatu planè convenire videantur CHYLUS & CHYMUS. Nam, ſi lectioni credendum, Græcis etiam χυμὸς ſœpisſimè & propriè ſignificat *ſaporem.* Unde etiam nomina *ſaporum* ſunt, εὐχυμία, ἔυχυμος, δύσχυμος, & ſimilia. Qvamqvàm Platoni & aliis χυμοὶ qvoqve vocentur *ſucci ſive liqvores plantarum,* & qvidem vel *à terrâ transmiſſi,* vel *in ipſis geniti.* Qvin, ſicuti *ſaporum* nomina eſſe εὐχυλίαν & δυσχυλίαν, modò monuimus, ſic ſimilia etiam ſunt κακοχυμία & κακόχυμος, ut qvibus non tàm *ſaporis,* qvàm *humoris* atqve *ſucci pravitas* notatur. Qvemadmodum & hocce ſenſu ferè unicè à recentioribus ſolent ſumi.

§. V.

Placet hîc adponere, qvæ de nominibus χυλοῦ & χυμοῦ disſerit in *diſputationibus ſuis convivalibus* Plutarchus. Nempe, ut refert ille, ab Ariſtotelis qvidem, Theophraſti & Mneſithei ſectatoribus *vis illa, qvæ guſtum movet,* (qvæ qvidem eſt *ſapor*) appellata fuit χυμὸς, in poſteriori ſyllaba litera μ exaratâ, & ex adverſô *quod de humidô & aridô percoctis conſtiterit,* χυλὸς, in ſecundâ ſyllabâ literâ λ poſitâ. Verùm obſervatur etiam, antiquiores tàm Atticos, quàm Ionas in utrâqve ſignificatione uſos eſſe unico vocabulo χυμοῦ, per μ ſcriptô, hocqve reperiri & apud Platonem Philoſophum, & Hippocratem Medicum, & veteres Comicos. Qvamqvàm (qvoniam forte vox χυλοῦ rariùs de *ſapore vel ſapidis* dicta occurrit) addat idem, ſe doctrinæ gratiâ *vim ſeu qvalitatem, qvæ guſtum movet,* ap-

appellare velle χυμὸν, *humorem autem denſatum, tàm in animalibus, qvàm ſtirpibus*, χυλόν. Qvô de apud ipſum videri posſunt plura, ut & apud Joach. Camerarium *Commentariô utriusqve lingvæ, ſive nominum, qvibus corporis humani partes appellari ſolent, exqviſitione, col. 145.* qvi eadem illa verba Plutarchi adducit.

§. VI.

Qvemadmodum verò CHYLUM & CHYMUM jam olim etiam συνώνυμα interdum fuisſe, & idem ſignificâsſe, ex his ſatis conſtat, ſic dum recentioribus qvibusdam utrôqve iſto nomine *ſuccum* ſuprà dictum atqve deſcriptum, *qui in animalium ventriculis ex cibô atqve potu nutritionis gratiâ producitur*, vocare libuit, optumè ſanè, & ſine erroris notâ licuit, licetqve & hodiè. Sicut & integrum cuivis videtur, an velit inter ea diſtingvere, & CHYLUM vocare *liqvorem iſtum in ventriculo, inteſtinis, aut vaſis aliis exiſtentem, & nondum ſangvini commiſtum, aut ad hujus officinam abductum*; deinde verò CHYMUM, *eumdem qvidem, ſed ex ſuis conceptaculis jam eductum, & cum ſanguine, vel* (ut creditum hactenus à pluribus fuit) *in venis meſaraicis, vel ſaltim in ipſo ſangvinem efficiente organô confuſum.* Ita enim diſtinxiſſe jam olim Galenum legimus, & χυλὸν vocâsſe *ſuccum ſive liquorem, qui in ventriculô coctus in venas adſumitur, & eſt materia ſangvinis*; ſed χυμὸν, *eumdem ſuccum, dum in venas jam adſumtus, atqve ab his in ſangvinem mutatus eſt*, (hanc enim facultatem tribuit ille venis) *nondum verò ad epar delatus.* Cui probando teſtes esſe posſunt inter alios ipſius libros illi præſertim, qvos περὶ χρείας τῶν ἐν ἀνθρώπου σώματι μορίων, *de uſu partium in humanô corpore* conſcripſit, in qvibus iſtorum nominum illô ſenſu ſoe-

ſu ſœpies fit mentio. Utrum verò inverſis qvaſi diſtinctionis membris CHYMUS hodiè posſit dici *prioris iſtius generis ſuccus*, & CHYLUS, *qvem poſteriore locô memoravimus*, (qvemadmodum ita à nonnullis licentiosè fieri cernimus) aliis judicandum linqvimus.

§. VII.

Benè verò notandum eſt, qvando ita dicitur latinè CHYLUS, dici pro græcô χυλὸς, (nam hoc certisſimum eſt, & vel ſolâ ſcripturâ ſufficienter probatum) non autem pro χιλὸς vel χειλὸς, qvæ itidem in uſu ſunt, & idem notant, qvod Latinis *pabulum, eſca,* vel *cibus.* Utut enim hic eorum ſignificatus ad iſtius *animalium ſucci*, de qvô nunc loqvimur, rationem propiùs qvodammodò adcedat, attamen diſtincta illa ſunt nomina, & minimè confundenda. Neqve enim vel χιλὸς vel χειλὸς unqvàm ab aliqvô probatæ auctoritatis Doctore pro *ſuccô*, multô verò minùs pro *ſuccô alibili animalium* poſitum legitur. Qvin utrôqve potiùs propriè notatur *pabulum jumentorum*, cujusmodi ſunt (ut verbis Henr. Stephani utamur) *avena, fœnum, & ſimiles aliæ herbæ vel ſemina, qvibus viridibus vel aridis veſci jumenta ſolent.* Unde & dicuntur χιλόω vel χιλάω, item χειλόω, vel χειλούω, *fœnô, aliôve pabulô paſco & ſagino*; item περιχιλέω vel περιχειλέω, *benè paſco*; εὔχειλος, *pabulô & alimoniâ abundans*, ἄχιλος *pabuli inops*, & ſimilia plura, de qvibus videri posſunt Grammatici, cumprimis, qvi inſtar omnium esſe posſunt, Suidas, Heſychius, &, qvem modò nominavimus, Henr. Stephani.

§. VIII.

Sed de *nomine* qvidem ſic ſatis. Ad *ipſius rei* tractationem nunc adcedentes, ſubponimus, *dari ta-*

B

lem

lem CHYLUM, ut *in omnium ſangvineorum*, ſic ſpeciatim & *in hominum corporibus*. Confeſſa enim res eſt, nec, qvantum ſcimus, ab aliqvô negata. Cornel. Celſum qvidem *præfatione in Lib. I. Medicinæ*, quâ *de ciborum concoctione* qvædam notat, legimus *Aſclepiadis æmulos* allegare, qvi & ab Eraſiſtratô, *atteri cibum in ventre* contendente, & à Pliſtonico Praxagoræ diſcipulô, *putreſcere*, & ab Hippocrate, *per calorem cibos concoqvi* putante, disſentientes, *omnia iſta vana & ſupervacua esſe* dixerint: *nihil enim concoqvi, ſed crudam materiam, ſicut adſumpta eſt, in corpus omne diduci.* Verùm ut qvi hi fuerint, nobis non conſtat, ſic, qvicumqve etiam fuerint, vel aliter id ipſum intellectum voluere, vel ſeriò ſaltim non ſtatuere. Ut ideò etiam de ipſis fortè adſerere liceat, qvod de Heraclito dixit *IV. Metaph. cap. IV.* (aliis *III.*) Ariſtoteles: οὐκ ἔστιν ἀναγκαῖον, ἅ τις λέγῃ, ταῦτα καὶ ὑπολαμβάνειν. *Non necesſe eſt, ut qvæ qvis dicit, eadem qvoqve ſentiat.* Interim qvidqvid de his ſit, cæterorum Auctorum omnium conſenſus plenisſimus eſt, *dari talem* CHYLUM, qvem diximus. Et concedunt docentqve id etiam, qvi ipſum *ſeparatum à fecibus, & peculiaribus ductibus contentum* non viderunt.

§. IX.

Qvæ qvô ſenſu intelligi velimus, ut pateat, notandum eſt, (qvemadmodum qvidem hoc inferiùs explicabimus prolixiùs) omnibus retrò ſeculis creditum fuisſe, *coctum in ventriculo chylum à venis meſaraicis abduci*, adeoqve ſic vel ſtatim *ex ventriculo*, vel *ex inteſtinis, ubi heterogeneorum ſeparatio facta fuit, exire, ſangviniqve, qvô venæ iſtæ plenæ ſunt, miſceri.* Et licet Galenus *VII. adminiſtration. anatom. cap. XVIII.*

&

& *Lib. an ſanguis contineatur in arteriis, cap. V.* refe-
rat, Eraſiſtratum aliquando obſervâsſe *in hædis lactantibus arterias imi ventris lacte refertas*, illasqve fuisſe *venas lacteas*, qvas hodiè ita vocamus, probabile ſit, non tamen ab ipsô pro his fuere habitæ aut proditæ, ſed communem opinionem ut antidhac, ſic & poſteà idem conſtanter tenuit. Ut adeò chylum purum, ſuis meatibus ac receptaculis contentum, ſuperioribus ſeculis nemo agnoverit, nemoqve viderit, utut de eo non dubitaverint.

§. X.

Potuerunt verò, qvod ſenſus ipſorum latuit, facile colligere, & collegere qvoqve procul dubio ex ratione. Qvùm enim *nutritionis gratiâ adſumi cibum atqve potum ab animalibus, & hos in ventriculô coqui, coctosqve ad inteſtina mitti*, certum ſit, oportet ſanè ut vel *tota ipſorum ſubſtantia* maneat in corpore, vel ſaltim *aliqua portio; qvidqvid verò deniqve manſerit, veniat ex inteſtinis ad loca illa, in qvibus paratur ultimum & verum nutrimentum.* At verò *omne quod adſumptum fuit, manere, & in nutrimentum cedere*, contra ſenſus eſt. Videmus enim, *maximam partem iterum per alvum ejici.* Si ergò totum id, qvod in ventriculo ac inteſtinis continetur, non manet, necesſum eſt, ſaltim *aliqvid manere, atqve ſeparatô illô, qvod tanqvàm inutile ejicitur, in venas adſumi vel demitti.* Qvod qvidem eſt CHYLUS, de qvô nunc loqvimur.

§. XI.

Enimverò utut indubia & certisſima ſit hæc ratio, eâ tamen hodiè ſuperſedere posſumus, ex adverſô autem CHYLUM ipſis intueri oculis. Venæ enim illæ, in qvas Eraſiſtratus forte fortunâ olim inciderat,

in plerorumqve animalium ſangvineorum (an *omnium*, nolumus jam diſputare, cùm ad inſtitutum noſtrum nil faciat) ventribus, poſt horas aliqvot à paſtu inſpectis, manifeſtè proſtant. Qvibus ipſis ſcilicet *purum ex inteſtinis adſumptum chylum contineri atqve provehi*, noſtro hocce ſeculo curioſorum Anatomicorum diligentia innumeris experimentis invenit. Ut id hodiè liqvidiſſimum, atqve (qvod optimum judicium Nobiliſſimus Conringius *operis de ſangvinis generat. & motu naturali cap. III.* tulit) *qvi id negaverit, aut ſenſuum fidem ejuret, aut præ cæcitate, vel negligentiâ, vel partium ſtudiô non videat rem oculis perviam, neceſſum ſit.* Qvin, qvem primùm ſaltim *in inciſis brutis* conſpicere licuit, in humanis verò corporibus (qvæ *viva ſcientiæ gratiâ incidere, crudele* meritò vocat Celſus, eſſetqve ſanè maxumum ſcelus; utut factum olim ab Eraſiſtrato ac Herophilo, & proximè præteritô ſeculô ab Andr. Veſalio, atqve Jac. Berengario Carpo, aliqvi memorent) propter *coctionum nutritionisqve ſimilitudinem* ex ratione collegere Doctores, poſtmodum, adſpirante ita benignâ fortunâ, etiam in his videre datum fuit; qvemadmodum in progreſſu pluribus monebimus. Ut adeò, qvùm de *ipſius præſentiâ in variorum generum corporibus* ſenſus etiam fidem fecerint, &, modò occaſionem quæramus, hodieqve ſemper faciant, nulla ampliùs ſuperſit dubitandi occaſio.

§. XII.

Poſitô ergò, *qvod detur*, ipſius *naturam* potiùs ut cognoſcamus, laborandum eſt. Qvod qvidem arduum nimis videtur & difficile, tùm qvod talis ratio ferè omnium naturalium ſit, etiam earum, qvæ viliſ-

ſimæ

ſimæ vulgo putari ſolent, tùm &, qvod variæ nimiumqve differentes hîc dentur Auctorum opiniones, partim veteres, partim novæ, qvæ, niſi probè qvis caverit ; facilè obfuſcare vel hæſitantem reddere animum posſint. In ſubſidium ergò hîc cumprimis advocanda, benéqve attendenda erunt vera ſcientiarum *κριτήρια*, qvæ in Scholis Analyticis exponuntur, *ſenſus* & *ratio*. Qvæ ideò etiam nos in limine ſtatim hîc ſiſtere, & qvaſi judices controverſiarum, qvascunqve moturi erimus, conſtituere voluimus.

§. XIII.

Non autem adponimus *definitionem*, ut qvæ, ſi (ſecundum plerorumqve recentiorum doctrinam) *forma* CHYLI *ſubſtantialis* nos latet, *imperfecta* & *mutila* esſet, parumqve ſcientiæ promitteret: qvin, niſi priùs de cauſis ipſius certi fuerimus, esſet etiam *incerta*, aut ſaltim *obſcura*. In *cauſas* potiùs ipſius inqvirere incipiemus, utpote à qvibus procedit ac dependet omnis, qvæ de ipsô habetur, haberiqve poteſt, ſcientia. Iſtas enim ſi qvis rectè cognoverit, nôſſe poterit non modò qvæ ipſius natura ſit, ſed & omnia accidentia, qvæ in ipſo à ſenſibus percipiuntur. Optimè ſiqvidem Ariſtoteles *in analyticis*: Ἐπίςαϑαι οἰώμεϑα ἕκαςον ἁπλῶς, ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιςικὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκὸς, ὅταν τὴν αἰτίαν οἰώμεϑα γινώσκειν, δι᾽ ἣν τὸ πρᾶγμά ἐςιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐςὶ, καὶ μὴ ἐνδέχεσϑαι τοῦτ᾽ ἄλλως ἔχειν. *Scire unumqvodqve putamus ſimpliciter, & non ſophiſticô modô, qvi eſt per accidens, qvando putamus nos cauſam cognoſcere, propter qvam res eſt, qvod* ſcilicet *illius cauſa ſit; &* propter illam cauſam *non poſſe id aliter ſe habere*.

§. XIV.

Primò verò omnium expendenda eſt ipſius *materia*,

teria, τὸ, ἐξ οὗ ἐνυπάρχοντος γίνεταί τι, *id, ex qvo inſito aliquid fit*, ut in Scholis Phyſicis atqve Metaphyſicis deſcribi ſolet. Qvæ qvidem non longiùs videtur arcesſenda, cùm in promtu ſit, & in oculos ſe ingerat. Sunt ſcilicet *cibi atqve potus*, qvibus utimur. Hos enim veluti nutritionis gratiâ adſumimus,& per gulam in ventriculum trudimus, ventriculus deinde digerit, digeſtosqve & immutatos in inteſtina demittit, hæc verò porrò ſervant, fovent, & qvæ in iis ὁμογενῆ atqve utilia ſunt, congregant: ſic profectò ex inteſtinis dum educitur *chylus*, non ex alio esſe poteſt qvàm *ex iſtis concoctis.* Id qvod uberiùs etiam eô confirmatur, qvod experiamur, *copioſum qvidem conſpici chylum, ubi ex ventriculo emisſi in inteſtinis gracilibus morantur cibi, nullum verò, ſi ante cibationem hæc ſunt inania.* Qvæ ſcilicet etiam cauſa eſt, *cur venæ illum vehentes non ſemper ſint conſpicuæ, & tamdiu latuerint, manſerintqve incognitæ.* Etenim, ut optumè earum primus inventor atqve deſcriptor, Gaſpar Aſellius, Profeſſor Ticinenſis, etiam poſt funera clarisſimus, *editæ de illis disſertat. cap. XIV.* inqvit, *evenit veteribus ignoratio hæc, qvod non in vivis, ſed demortuis animalibus anatomas ſuas inſtituerint, in quibus has venas experientia docet ita confeſtim vaneſcere, ut omnem aſpectum, etiam attentisſimum, fallant atqve effugiant. Poteſt etiam fieri, ut viva ſecuerint, ſed non ſuo tempore, aut ſcilicet abſolutâ jam perfectâqve, aut nedum tentatâ inchoatâqve chyli diſtributione.* Qvi idem verò rectisſimè ſubjungit, *pro aliis qvidem veteribus hæc dici posſe, ſed non pro Galeno. Qvi enim* (ſunt ejus verba) *ſectiones vivas ampliùs ſexcentas dederit, ut ipſe quidem gloriatur, & plurima animalia à*

paſtu

paſtu tàm ſæpè inciderit, ei fieri ne poſſe putandum eſt, ut nunquàm ſeſe venæ illæ in conſpectum dederint? ut nunquam eas obviam habuerit, imò nunquàm perveſtigârit, cùm præſertim exqvirendæ totius rei maximam illi cauſam Eraſiſtratus præbuisſet? Contra qvem ita frigidè ille disputat, ac perplexè, ut judicare vix posſis, qvid ajat, negetve, & detne illi, qvod in experimentum ſumit, an abnuat? Hæc, & alia plura ibi Aſellius.

§. XV.

Sed *qvalismodi materia ſint cibi atqve potus*, & *qvomodo ex iſtis fiat chylus*, alia qvæſtio eſt, tàm facile forte non decidenda. Pro quâ rectiùs intelligendâ, notamus ex Phyſices parte generali, τὸ *fieri* non unô dici modô. Dicuntur enim (ut diſtinctionem illam ita proponit Ariſtoteles *II. Phyſic. t. 62. & 63.*) aliqva *fieri* ἁπλῶς, *ſimpliciter ſeu omninò*, alia verò non tàm γίνεσθαι, quàm τό δε τὶ γίνεσθαι, *fieri hoc aliquid*. Illô modô fiunt e. g. *ignis ex conflagrante ſtupâ vel ligno*, & *animal atqve planta ex transmutato ſemine*. Simpliciter enim ſive abſolutè, & ſine addito dicimus hîc: *Ignis fit; animal fit; planta fit*. At verò ſi e. g. unctis duabus flammis *ignis augetur*, aut ſi *natum jam animal creſcit & majus fit*, τὸ *fieri* qvidem itidem de illis dicitur, verùm non *abſolutè & ſimpliciter*, ſed *cum addito*. Non enim dicimus tunc: *Ignis fit; animal fit*: eſt enim jam & hoc & ille. Dicimus verò rectisſimè: *Ignis fit major; animal fit majus*.

§. XVI.

Deinde, notante porrò Ariſtotele, nec qvæ ἁπλῶς ſive *ſimpliciter fieri* dicuntur, eôdem omnia fiunt modô. Nam (1.) fiunt aliqua μεταϭχηματίσει, ſive *figuratione*, ut e. g. *annulus & poculum*, qvæ *ex fuſis metallis ita figu-*

figurantur. (2) Alia fiunt περιθέσει, *adjectione ſive adpoſitione.* Ut e. g. *acervi aut cumuli lapidum, hordei, avenæ,* & ſimilium. Hi enim *ex collectione & additione ſimilium partium* ſaltim proveniunt. (3.) Fiunt nonnulla ἀφαιρέσει, *ablatione aut detractione.* Qvomodo fit e. g. *Mercurius ex lapide.* Fit enim *ex exciſione lapidis.* (4.) Fiunt qvædam etiam συνθέσει ſeu *compoſitione.* Ut e. g. *ædes,* qvas *compoſitione lapidum, lignorum, cæmentorum, & plurium aliorum exſtrui* conſtat. (5.) Alia deniqve fiunt ἀλλοιώσει, ſive *alteratione,* ut veteres vocavere. Qvô qvidem modô, ut Ariſtoteles inqvit, fiunt πάντα τὰ τρεπόμενα κατὰ τὴν ὕλην, *omnia, qvæ per transmutationem materiæ fiunt;* ut e. g. *vapor,* qvi *ex aqva,* aut *ignis,* qvi *ex ligno,* aut *planta,* qvæ *ex ſemine transmutato* producitur.

§. XVII.

Qværitur igitur, *qvônam horum modorum fiat chylus ex illâ ſuâ materiâ? Utrum fieri dicatur* ἁπλῶς? *An verò ſaltim* κατά τι, *ſecundum quid? Et, ſi* ἁπλῶς *fieri dicitur,* (uti qvidem nemo fortè ibit inficias, cùm ſicuti, qvando *ex conflagrantibus lignis ignis* producitur, dicimus abſolutè, *ignem fieri,* ſic & dicamus, *chylus fit*) *qvô fiat modo? An fortè* ἀφαιρέσει, *ſeu detractione?* Qvoniam ſcilicet conſtat, *ex coctis atqve digeſtis cibis ac potibus elici in inteſtinis chylum:* *elici,* inqvam, *detractis atqve ſegregatis fecibus, tanqvàm parte inutili.* Simili enim modô *ex lapide lignove* fit *Mercurius,* aut res ſimilis figuræ alia, itemqve ex *lignis, ſecando, dolando, terebrando & tornando,* parantur *baculi, columnæ, pyxides, capſulæ,* & id genus plura. Nec alius etiam intercedere videtur, ſi *ex favis apum* coqvitur *mel,* & *ex effosſis ex terræ mineris lapidibus* ignis potentiâ educuntur latentia *metalla.*

§.XVIII.

§. XVIII.

Et ſanè *ita fieri* non *chylum* modò *ex cibo ac potu*, ſed & *ex chylo ſangvinem*, & *ex hoc partes corporis*, qvin *ita fieri omnia*, qvæ *in univerſo hoc* φύσει γίνεσθαι, *naturâ fieri* dicuntur, antiqviſſima eſt opinio, qvam qvi tenuere, *generationes* meras συγκρίσεις καὶ διακρίσεις, *congregationes ac ſegregationes eſſe* dixerunt. Et licet eam non eódem modo omnes explicuerint, qvemadmodum prolixè recenſetur in hiſtoria Philoſophica, & expoſitum cumprimis eſt ab Ariſtotele *1. Phyſic. & alibi*, Anaxagoram tamen, Philoſophum Clazomenium, conſtat, memoratqve idem Philoſophus *ibid.* ut & Galenus *Lib. I. de natural. facultat. cap. II.* publicè ſemper propoſuiſſe & conſtantiſſimè propugnâſſe πανσπερμίαν, hoc eſt, *rerum earum*, qvæ vulgò *ſimilares* vocantur, *contrarietates atqve differentias omnes ſingulis ineſſe, atqve qvando generatur aliqva ex aliqvo ſubjecto, ex eo ſaltim excerni atqve ſeparari*, interim *nihil fieri, qvod prius non fuerit, ſed ſaltim ita nobis videri, aut à nobis putari.* Collegit ſcilicet ita: *Qvidqvid fit*, ἢ ἐκ ὄντων *fit*, ἢ ἐκ μὴ ὄντων. Sed ἐκ μὴ ὄντων, *ex non entibus fieri aliqvid, eſt impoſſibile.* Nam, ut Ariſtoteles *loc. cit. t. 34.* refert, περὶ ταύτης ὁμογνωμονοῦσι τῆς δόξης ἅπαντες οἱ περὶ φύσεως, *in hac doctrina omnes conſentiunt, qvicunqve de natura diſſeruere.* Ergò, concluſit, *neceſſarium eſt, ut qvod fit, fiat* ἐκ ὄντων, *ex entibus.* Ἐξ ὄντων, inquam, καὶ ἐνυπαρχόντων, διὰ δὲ σμικρότητα τῶν ὄγκων, ἐξ ἀναισθήτων ἡμῖν, *ex entibus, & inexiſtentibus, ſed ob molis parvitatem nobis inſenſilibus.* Et qvoniam proinde ferè *qvodlibet ex qvolibet fieri* vidit, c. g. *ex aqva vaporem, & ex hoc vicisſim aqvam, ex aqva item in nutritione partes plantarum & ani-*

 ma-

malium, &c. etiam *qvodlibet cuilibet mixtum atqve innexum eſſe* putavit, *viderique res differentes, & appellari etiam varias atqve diverſas, qvando in infinitorum iſtorum principiorum miſtione genus aliqvod excellit: intereà verò totum nullum eſſe ſincerè aut merè album* e. g. *aut nigrum, aut carnem, aut os, ſed ſaltim* ὅτου πλεῖστον ἕκαστον ἔχει, τοῦτο δοκεῖν εἶναι τὴν φύσιν τοῦ πράγματος, *cujus plurimum qvodqve habet, hoc videri ejus eſſe naturam.*

§.XIX.

Eadem etiam ſententia fuisſe videtur Auctori *librorum de ratione victûs*, qvi vulgo inter *Hippocraticos* cenſentur, dum *Libro I.* ita inqvit: Ἀπόλλυται μὲν οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων, οὐδὲ γίνεται, ὅτι μὴ καὶ πρόσθεν ἦν· ξυμμισγόμενα δὲ καὶ διακρινόμενα, ἀλλοιοῦται. νομίζεται δὲ παρὰ τῶν ἀνθρώπων, τὸ μὲν ἐξ ἅδου ἐς φῶς αὐξηθὲν, γενέσθαι· τὸ δὲ ἐκ τοῦ φάεος εἰς ἅδην μειωθὲν, ἀπολέσθαι. ὀφθαλμοῖσι δὲ δεῖ πιστεύεσθαι μᾶλλον, ἢ γνώμησιν. ἐγὼ δὲ τάδε γνώμῃ ἐξηγέομαι. ζῶα γὰρ κἀκεῖνα, καὶ τάδε· καὶ οὔτε τὸ ζῶον ἀποθανεῖν οἷόν τε μὴ μετὰ πάντων. καὶ γὰρ ἀποθανεῖται. οὔτε τὸ μὴ ὂν γενέσθαι μὴ ὄντος ὅθεν παραγενήσεται. *Nihil qvidem omninò perit, neqve oritur, qvod priùs non erat, verùm invicem commixta & discreta alterantur. At homines exiſtimant, id qvidem, qvod ex orco in lucem augetur, oriri, qvod verò ex luce ad orcum imminuitur, perire, magisqve oculis quàm fidem rationi esſe adhibendam. Ego verò iſta ratione exponam. Animantia namqve ſunt, & illa, & iſta, neqve animal interire poteſt, qvin omnia intereant, neqve qvod non eſt, generari, cùm non ſit unde generetur.* Poſt pauca verò interjecta addit expresſè, *generari & corrumpi*, esſe *commiſceri & ſecerni*; qvin, *commiſceri* esſe idem, qvod *ſecerni*, & *ſecerni*

idem,

idem, qvod *commiſceri*, ut & porrò, *generari* eſſe idem qvod *corrumpi*, & *corrumpi* idem, qvod *generari*. ἔχει δὲ ὧδε, ait, γίνεσθαι καὶ ἀπολέσθαι, τ᾽ὠυτό· ξυμμιγῆναι καὶ διακριθῆναι, τ᾽ὠυτό· γίνεσθαι, ξυμμιγῆναι, τ᾽ὠυτό· ἀπολέσθαι, μειωθῆναι, διακριθῆναι, τ᾽ὠυτό. ἕκαστον πρὸς πάντα, καὶ πάντα πρὸς ἕκαστον, τ᾽ὠυτό. *Habet autem ſe res ad hunc modum. Generari & interire, idem. Commiſceri & diſcerni, idem. Generari idem, qvod commiſceri: interire, imminui, idem, qvod diſcerni: Unumqvodqve ad omnia, & omnia ad unumqvodqve, idem ſunt.*

§. XX.

Verùm enim verò, uti *hanc opinionem cum ſenſibus minimè convenire* eſt manifeſtiſſimum, ideoqve & ipſius Patroni illi ſenſibus diffidentes, unicè in *ratione* ſubſidium qvæſiere, ſic cuivis ingenio facile putatu eſt, qvantum valoris ipſi inſit. Id qvod cùm prolixè oſtenderit Ariſtoteles, tum *locô citatô*, tùm & *III. de cœlo cap. VII. & alibi paſſim*, ut & poſt eum eruditiores *Sapientiæ Profeſſores* (ut à Cornel. Celſo vocantur) alii, videmus, prævaluiſſe qvidem poſteris temporibus, & à pluribus adſtructam fuiſſe ſentẽtiam contrariam, *generationes* ſcilicet *nudis congregationibus ac ſegregationibus non abſolvi, neqve ea, qvæ generari dicuntur, ex latentibus ſolummodò manifeſta fieri, ſed, cùm anteà non fuerint, tunc, qvando generari dicuntur, reverâ incipere eſſe.* Sed enim ante ſeculum, & qvod excurrit, idem ex orco qvaſi revocatum dogma defendi cœpit à Philippo Bombaſto Paracelſo, monſtrô illô hominis in omnis bonæ literaturæ detrimentum natô: idqve deinde cum innumeris monſtroſis aliis propoſuere, & proponunt hodieqve ipſius diſcipuli ac ſectatores, qvi nomine *Spagyricorum atqve*

 Her-

Hermeticorum communiter dicuntur. Nullam enim illi *veram* agnoſcunt *transmutationem*, ſed *omnem generationem fieri* cenſent *per ſeparationem ex materia, hancqve actu continere omnia generanda, modò qvod non omnia fuerint conſpicua: esſeqve adeò generationem nihil aliud, qvàm rerum actu qvidem exiſtentium, latentium tamen tanqvàm in tenebris & orco, productionem in lucem.* Diſtingvunt autem *materiam*, & eam, qvæ *pluribus communis* eſt, vocant (uti & vocavit Paracelſus magiſter) *Cagaſtrum*, qvæ verò *propria, iliaſtrum*, effictis ita barbare & ſine ratione vocabulis.

§. XXI.

Qvin videntur hi longè audaciores atqve abſurdiores iſtis veteribus, qvùm *terrenis* etiam *cœleſtes* miſceant ſubſtantias, & pariter *has omnibus inesſe* velint. Ita enim expresſè *librô de caducô matricis* Paracelſus: *In pane* (qvô veſcimur) *omnes creaturæ cum ſuis aſtris ſunt.* Et *librô de modô pharmacandi II. Qvoties homo in manu bolum cibi habet, toties in ea cœlum & terram tenet in eodem bolo: qvoniam in ipſo latent omnes partes hominis, & in eo creata omnia ſphæræ globorumqve perfecta ſua habent corpora. Sic in manu comedentis eſt cœlum & terra.* Unde & ſecundum ipſum μικρόκοσμος non ſaltim *homo* eſt, ſed & *qvicqvid hominem nutrit*, & *qvodcunqve corpus*: eſtqve μικρόκοσμος eô ſenſu, qvaſi *ipſius corpore tota mundi majoris natura comprehendatur.* Ut enim propria ipſius verba *Paramir. Lib. IV. de orig. morbor. inviſibil.* habent: *Sunt in homine omnes aſtrorum motus, natura terræ, aqvæ, aëris, omnia vegetabilia, omnia mineralia, omnesqve conſtellationes, qvatuor venti.* Eamqve ob cauſam etiam *Labyrintho med. errant.* adſerit, *illum esſe verum Medi-*

cum,

cum, qvi poſſit dicere: Hoc eſt in homine ſapphirus, hoc cupreſſus, hoc Mercurius, hoc flos Keiri. Et *alibi* inqvit, *Medici eſſe, ſcire in homine caudam draconis, arietem, axem polarem, lineam meridionalem, orientem & occidentem.* Qvalia ſcilicet dicta apud ipſum occurrunt plura, & ſimilia etiam apud qvosdam ipſius diſcipulos: ut inde, conſenſisſe eos Anaxagoræo dogmati illi, ſit certisſimum.

§. XXII.

Porrò placet eadem ſententia & aliis, qvi aliàs in claſſem *Spagyricorum* nolunt cenſeri: qvorum verò verba addere hîc, & ſaltem teſtimoniis implere pagellas conſultò intermittimus. Neqve enim juvat multum audire, *à qvibus omnibus* dicta adſertaqve fuerit; magis verò refert, qvid *veri* inſit dictis, nôſſe. Verùm, ut paulò ante diximus, neqve *ex ratione*, neqve *ex ſenſibus* probare poteſt illa, ſed tàm his, quàm illis potiùs contradicit, ſi rectè fuerit conſiderata. Et non ſperabimus, aliqvem in ſenſibus ullum qvæſiturum eſſe refugium, cùm horum teſtimonium manifeſtè reclamet. Si enim certæ ſunt *partium corporis humani rationes,* (ut misſis aliis ad has ſtatim adcedamus, ut qvæ noſtri magis ſunt inſtituti) neqve qvidvis licet vocare *os* vel *carnem,* ſed id ſaltim, qvod ex *uſu ac conſtitutione ſuâ* vulgo ita dicitur, ſanè nemo, licet etiam lynce fuerit oculatior, & accuratisſimè ſingulas cibi potusqve partes inſpexerit, ſimulqve etiam alios ſenſûs advocaverit teſtes, ullibi vel minimum *chyli*, multô verò minus vel in hôc vel in illis *ullam particulam humani corporis* percipiet. Neqve id excuſabunt, dum dicunt; *latere eas, & ob minimam qvantitatem eſſe inviſibiles.* Nam *hoc* qværimus, *unde ipſis conſtet?*

Atqve ſi non conſtat, (uti ſanè nulli unqvàm conſtitit) *qvâ fronte adſeratur?* Qvod enim contra clariſſimum ſenſuum teſtimonium dicitur, profectò non φιλοσόφημα, ſed purum figmentum eſt.

§. XXIII.

Neqve etiam ratio, ad qvam confugiunt, ipſis vel tantillum favet, ſed itidem maxumè contrariatur. Qvodſi enim *omnia omnibus* ſunt *immiſta ſive innexa*, dabitur actu infinitum, & nulla erit vel rerum vel principiorum ſcientia. Non etiam licebit ullam rem definitô nomine appellare, cùm non majori jure ſit hoc qvàm aliud, cujus partes pariter in eâ habentur. Deinde ſeqvetur, *partes viventium qvantascunqve qvà parvitatem eſſe poſſe.* Qvod ſi verum, etiam *ipſum vivens qvantumcunqve* eſſe poterit. At verò uti qvamvis partem *ob operationem* eſſe, & ejus gratiâ inter alia *certam figuram habere* videmus: ſic qvidqvid talem non habet figuram, nec operationis iſtius ὄργανον eſſe poteſt, etiam non dignum eſt illius partis nomine dici. Sicut e. g. qvâ parte neqvit capi ac concoqvi cibus, non eſt *ventriculus*, neqve *pes*, qvâ non poſſumus incedere. Impoſſibile itaqve eſt, ut vel *pars*, vel *totum vivens* ſit *qvantumcunqve*: e.g. *homo, canis, leo & eqvus, qvantâ vis magnitudine.* Porrò, qvùm *omne corpus finitum continuâ detractione corporis finiti per partes æquales tandem conſumi* conſtet, ut &, *omne corpus, ablatâ ab eo aliqvâ parte, fieri minus*, eqvidem extractis ex alimentis *particulis chyli*, in iisqve ſimul *particulis animalis*, etiam *qvantitatem iſtorum minui* neceſſe erit. Verùm qvùm, qvando ſemel iis fuit nutritum animal, adhuc tamen in eô, qvod remanet, inſint omnia, adeoqve inſint etiam particulæ *chyli & animalis*

lis aliæ, ſeqvetur, *neqve minus fieri corpus finitum* (ipſum ſcilicet alimentum iſtud) *continuâ detractione corporis finiti per partes æqvales,* (hoc eſt, ſeparatione chyli & partium animalis ſœpisſimè factâ) *neqve tandem conſumi, ſed ſemper in eodem manere ſtatu.* Qvin ſeqvetur, *in infinitis corporibus inesſe chylum infinitum, & ſangvinem infinitum, & carnem infinitam, & cerebrum, & osſa, & ejusmodi cætera, ab invicem ſeparata, & actu exiſtentia, ſingula infinita tàm numerô, qvàm ſpecie,* (ſingulorum enim animalium partes, qvæ utiqve ſpecie differunt, in ſingulis ſunt) adeoqve *infinities infinita.* Qvæ omnia certè vel ipſis abſurditatibus abſurdiora, partim etiam ridicula & imposſibilia ſunt.

§. XXIV.

Hæc igitur omnia dum inſeqvuntur illam opinionem, patet ſanè, illam *neqve ratione probari, vel probari posſe.* Falſi autem ſunt veteres, dum non rectè conſiderârunt τῆς ὕλης ſive *materiæ rationem atqve ingenium.* Etenim ignorantes, an, ſi fit aliqvid ex materia, fieri dicendum ſit ἐκ ὄντος, an ἐκ μὴ ὄντος, negârunt penitus, *fieri aliqvid,* loqvendô *abſolutè & ſimpliciter,* ceu in præcedentibus hunc terminum expoſuimus. Conſiderare verò debuisſent, materiam ſive ſubjectum generationum *non esſe* qvidem *actu id ipſum, qvod generatur, esſe* tamen *id potentiâ,* adeoqve *ea, qvæ fiunt, partim* ἐκ ὄντος *fieri, partim* ἐκ μὴ ὄντος, ſcilicet ἐκ μὴ ὄντος, ſive *ex non ente ſimpliciter dictô, ſed ſimul qvoqve* ἐκ ὄντος, *ſive ex ente dictô ſecundum qvid,* hoc eſt, *ex ente potentiâ.* Hâc enim diſtinctione adhibitâ ſolvi poteſt plenisſimè dubium, qvod ipſos ſeduxit. Sicuti namqve nomine ὄντος id intellexe-

re,

re, *qvod perfectam ſibiqve debitam eſſentiam habet,* qvale eſt e. g. *animal, planta, eorumqve partes,* (nam & hæ *in ſuo genere perfectæ* ſunt, ſcilicet *partes perfectæ*) item *lapis, ignis, aqva* &c. Sic veriſſimum eſt, ἐκ ὄντος, *ex ente tali non generari, qvod generatur:* adeoqve *non fieri ignem ex igne, aqvam ex aqva, lapidem ex lapide, animal ex animali, plantam ex planta, vel os ex oſſe* &c. Jamtum enim cùm ſint, qvomodo *fieri* demum poterunt? Aut qvid generatione erit opus? At verò utut non *ex ente* fiat horum ſingulum, fit tamen *ex ſubjectô,* qvod eſt ὂν δυνάμει, *ens potentiâ,* talismodi ſcilicet, *qvod illam perfectionem atqve eſſentiam, ex qua ens illius ſpeciei, e. g. ignis, aqva, lapis &c. dici ſolet, nondum habet; habere verò vel accipere per naturam poteſt.* Qvod ipſum ſcilicet qvoniam talem eſſentiam non habet, μὴ ὂν ſive *non ens* priſcis Græciæ Sapientibus fuit appellatum. Benè ergò habet qvidem collectio: *Qvicqvid fit, vel ex ente fit, vel ex non ente,* ſi per *ens* & *non ens* intelligantur, qvæ *abſolutè* ita dicuntur. At ita intellecta: *Qvicqvid fit, vel ex ente actu fit, vel ex non ente potentiâ,* fallit. Uti ſimiliter iſta ſublumtio: *Nihil fit vel ex ente qvôcuncunqve modô ſumtô, vel ex non ente qvocunqve modò ſumto.* Fit enim, qvod fit, ex *non ente actu,* ſed ex *ente potentiâ.* Eaqve eſt *ratio materiæ,* ex qva fieri, quæ vel φύσει fiunt, vel δι' ἄλλας αἰτίας, experientia docet. Qvam qvidem dum non attendere veteres, neqve diverſos iſtos *entis* & *non entis* modos diſtinxere, ἐξετράπησαν, οἷον ὁδόν τινα ἄλλην ἀπωσθέντες ὑπὸ ἀπειρίας, *aberrârunt, qvaſi in aliam viam abducti ab imperitiâ,* ut rectiſſimè inqvit Ariſtoteles, qvi & plura alia adducit, lectu digniſſima.

§. XXV.

§. XXV.

Et qvidem cùm hæc omnia clarisſimè & prolixisſimè ab eô expoſita ſint *locis citatis*, (nam hæc doctrina tota ipſius eſt) nullâ veniâ, ſed potiùs duriore cenſurâ digni ſunt Paracelſus ejusqve diſcipuli. Poterant enim verum jam demonſtratum intueri atqve cognoſcere, ſed vel ex negligentia, vel amore partium, vel causâ malâ aliâ noluerunt, potiùs autem veteres ſuas exſuccas totas rugisqve obſitas avias deamantes, addiderunt errori cumulum. Et ſanè tale qvoniam fuit Paracelſi ſtudium, rectisſimè cenſet Bruno Seidelius *librô de morbis incurabilibus pag. 138.* optumè illi convenire, qvæ de *Therſite Græcorum omnium fœdisſimô* cecinit Homerus *Il.* β. Nimirùm dici poteſt:

Βομβαστὸς δ᾽ ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολώα,
Ὅς ῥ᾽ ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδει,
Μάψ᾽ ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον ἐριζέμεν ἰητροῖσιν,
Ἀλλ᾽ ὅ, τι οἱ εἴσαιτο γελοῖον Γερμανοῖσιν
Ἔμμεναι. αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ἐπὶ φάρμακα ἦλθε,
Μῶρος ἔην κεφαλὴν, ψεδνὴ δ᾽ ἐπενήνοθε λάχνη,
Ἔχθιστος δ᾽ ἦν Ἱπποκράτει καὶ πᾶσι παλαιοῖς.

Hoc eſt: *Solus adhuc Bombaſtus iners eſt verba profatus.*
Quæ-modo-cunqve ſuô veſanô pectore novit:
Non ut proferret Medicis memorabile qvidqvam,
Verùm ut Germanis lepida esſet fabula doctis.
Ad ſacra profectò turpis vir pharmaca venit,
Ridiculus caput, atqve cui cere-comminuit-brum
Stultitia, & raro malè comptus myſtace labra,
Hippocratem & veteres temnens temerarius omnes.

§. XXVI.

Non itaqve ex potu ac cibo ita fit chylus, ut ejus productio ſit mera σύγκρισις καὶ διάκρισις. Sed fit potiùs

tiùs *per veram transmutationem, ita ut ipſe anteà non fuerit, neqve vel cibo vel potui immixtus latuerit, ſed eſſe incipiat ex coctis his in ventriculo atqve transmutatis.* Qvocirca etiam non *ex omnibus ingeſtis* fieri eum poſſe cernimus, ſed ex illis ſolummodò, qvæ alterare atqve transmutare calidum noſtrum poteſt. Si qvæ verò qvalitate aliqvâ, actıvâ vel paſſivâ, nimiùm excedunt, ut ſuperare illam atqve temperare hoc non valeat, ea nec coqvuntur, nec chylum præbent, qvin potiùs in ventriculo reſtantia putreſcunt, aut integra manentia aliis incommodis anſam præbent. Ubi qvidem ampliſſimus pateret campus disqvirendi, *qvæ, qvaliave ſint illa, qvæ chyli materia eſſe poſſunt?* In qvem verò excurrere nunc, & iſta omnia curioſè luſtrare, inſtitutum non fert. Animus enim cùm ſit ſolummodò *chyli naturam atqve rationem* conſiderare, & verò eum *ex ingeſtis alimentis fieri* ab omnibus concedatur, non curantes, *qvænam hæc ſint,* ſaltim *qvomodo, qvâve facultate in chylum mutentur,* videmus. Interim nota ſatis ſunt, qvæ *de alimentis* reqvirat Ariſtoteles *I. de gen. & corr. c. VII. II. de anima c. IV. & alibi paſſim* de illis diſſerens, qvæqve cum ſenſu & ratione optimè congruunt. Qvibus σύμφωνα etiam Galenus tradens *Libris de elementis, de temperamentis, de facultatibus naturalibus, de ſimplicium medicament. facultat. & aliis* benè monet, *alimenta alere augereqve corpus noſtrum,* eôqve differre & à *medicamentis,* qvæ non tàm alunt, qvàm *alterant,* & itidem à *venenis,* qvæ *nobis inimiciſſima, naturam vincunt ac deſtruunt:* qvam ejus doctrinam fuſiùs exponit Nobil. Medicus Argentoratenſis Melch. Sebizius *de aliment. facultat. Lib. I. cap. II.* digniſſimus ut legatur.

§. XXVII.

§. XXVII.

Qvemadmodum ergò *producendus atqve generandus chylus* eſt, & verò cum omnium miſtorum generatione alterationes variæ concurrunt, ſic & *alimenta*, anteqvàm in chylum vertantur, *plures mutationes ſubire* cernimus. *Sunt enim hæc* (ut modò laudati Sebizii *l. c. Lib. V. probl. XXXI.* utamur verbis) *noſtro corpori valdè disſimilia, & in corpus tamen verti, eiqve asſimilari debent. Qvô igitur longiùs transmutandum à transmutante abeſt, eô plures etiam mutationes ſubire cogitur.* Primò igitur *in os adſumptus cibus* comminuitur, (cumprimis durior qvi eſt) attenuatur, & qvaſi molitur operâ *dentium*, qvibus in hunc finem inſtruxit etiam hominem Natura: & qvidem inſtruxit in utraqve maxillâ pluribus, qvantitate & figurâ inter ſe diſtinctis. Duræ enim & osſeæ licet omnes ſint ſubſtantiæ, qvidam tamen *acuti ac lati* ſunt, ad *inciſionem ciborum* facientes, indeqve dicti etiam *incidentes, ſeu inciſores.* His deinde adjuncti ſunt *acutiores & duriores* aliqvi, *canini* appellati, *confringentes* qvæ incidi neqveunt. Alii deinde hos ſeqvuntur, in lateribus poſiti, *majores* non modò, ſed & *lati, aſperi, & cæteris ferè duriores*, inſtar molarum qvaſi *attenuantes & conterentes* cibum, ab eôqve uſu vocati communiter *molares*; Germanis verò à locô Backzähne: in buccis enim continentur. Scilicet cùm multum referat, ſi cibi benè triti atqve manſi fuerint, eam varietatem elegit atqve conſtituit provida mater Natura, ut etiam vel hoc exemplo confirmet, *ſe in necesſariis nunqvàm deficere*; qvemadmodum de hâc ipſius providentiâ & ſolertiâ pluribus disſeritur in parte Phyſices communi.

§. XXVIII.

Vocatur hic actus Latinis *manducatio*, Græcis μάσησις. Eôqve licet non coqvantur, ad futuram tamen coctionem *præparantur cibi*, dum mutantur quà qvantitatem & qvalitatem. Dividuntur enim, comminuuntur & attenuantur, dumqve in faucibus aliqvamdiu volvuntur, *humore ſalivali*, qvô iſtæ madent, adſperguntur. Qvâ præparatione qvidpe maxumè opus eſt, ſiqvidem ex variis ingeſtis unum qvid generari debet. Cumprimis enim craſſæ & magnæ partes fortè nec digeri, nec miſceri commodè poterant. Μικρὰ μικροῖς παρατιθέμενα μίγνυται μᾶλλον· ῥᾶον γὰρ καὶ θᾶττον ἄλληλα μεθίστησι. *Parva parvis admota meliùs miſcentur: faciliùs enim celeriúsqve ſe transmeant*, inqvit Philoſophorum princeps Ariſtoteles *I. de generat. & corrupt. t. 89.* Qvin facit etiam illa comminutio, ut citiùs & meliùs operari calidum poſſit, qvemadmodum iterum monuit laudatus Philoſophus *II. de part. animal. cap. III.* Unde & experientia teſtatur, ſi fortè majora fruſta fuerint ingeſta, ea difficiliùs concoqvi, vel cruda manere & iterum ejici. Natumqve ex eô eſt illud Arabum: *Manducationem qvi negligunt, illi animam ſuam oderunt.*

§. XXIX.

Patet idem uberius etiam ex eô, qvod videamus, talem præparationem non ſaltim in *homine* dari, ſed & in *animalibus aliis*; licet non eôdem modô in ſingulis. Neqve enim ſingula vel iisdem inſtrumentis ſunt prædita, vel iisdem utuntur alimentis. Et *homini* qvidem cùm *unus* ſaltim ſit *ventriculus* ſecundùm naturam, (nam qvod aliqvando *duo* fuerint viſi, verum qvidem eſt, ſed referendum inter ἁμαρτήματα ſive *errata*

rata naturæ) *os ampliſſimum*, & in eo *dentium duo ordines variaqve genera* ſunt conceſſa. Qvæ conſtitutio aliàs in paucioribus obſervatur generibus. Neqve enim omnia ſunt ἀμφόδοντα, hoc eſt, *utrâqve parte oris dentata*, ſed qvædam ſaltim *in alterâ maxillâ* habent dentes, ut *camelus*, *cervus*, *ovis*, *capra* & ſimilia. Qvæ verò habent πλείους κοιλίας, *plures ventres*: *ut*, (eleganter id exponente Ariſtotele) *qvùm propter inopiam dentium oris officium non ſufficiat in cibo molendo, illud munus ventrium expleat, dum alius ab alio cibum recipit: ſcilicet primus recentem & non confectum, ſecundus aliqvantulùm confectum, tertius pleniùs, & qvartus perqvàm plenè* (uti reddit Theodorus Gaza) *confectum*. Hanc enim unicè ob cauſam πλείους τόπους καὶ μόρια, *plura talia loca atqve partes* habent iſta genera. Sed *avibus* cùm *nullum os, nulliqve dentes* ſint, datus fuit vel ante ventrem πρόλοβος ſive *ingluvies*, vel *patentior gula*, vel *pars aliqva gulæ ſinuoſa*, in qva τὴν ἀκατέργαστον τροφὴν, non confectum cibum recondant, vel etiam *ventris ipſius pars prominens*, vel ſaltim *ipſe venter validior atqve carnoſior*, *ut continere diu & concoqvere poſſint* ἀλέαντον οὖσαν τὴν τροφὴν, *cibum nondum mollitum*. Sic enim τῇ δυνάμει καὶ τῇ θερμότητι τῆς κοιλίας, ἡ φύσις ἀναλαμβάνει τὴν τοῦ στόματος ἔνδειαν, *facultate & calore ventris compenſat natura oris defectum*, ut iterum inqvit Ariſtoteles *III. de part. animal. cap. XIV.* apud qvem plura legi poſſunt ad hoc argumentum pertinentia. In ſingulô interim animalis genere, qvod *variô & magis compoſitô* cibô utitur, *partes adeſſe*, qvibus *alterari & præparari* ille poſſit, anteqvàm ad ipſum digeſtionis locum veniat, eſt certiſſimum.

§. XXX.

Etiamſi verò *maxumè neceſſariam atqve utilem* μάσησιν hanc eſſe putemus, non tamen cum iis facimus, qvi *ipſam coctionibus adcendendam eſſe* volunt. Multò minùs moveri poſſumus ut credamus, *ita mutari eâ cibos, ut naturam ſuam ſtatim amittant, & ſimiles ſiant partibus alendis;* qvemadmodum qvidem Joanni Fernelio viſum fuiſſe legimus, cujus *Phyſiolog. Lib. VI. cap. I.* hæc ſunt verba: *Qvodcunqve durius & ſolidius eſt alimentum, dentibus in ore conſtructis manditur, extenuatur, & molitur, nec levem inibi converſionem accipit, admiſcetqve ſibi qvodammodò animantis qvalitates, ut priſtinam ſpeciem & naturam vix retineat.* Verùm ut hoc ſenſus non probant, ſic nec tàm facile eſt opus transmutationis, ut brevi illô tempore, qvô tractantur alimenta à dentibus, abſolvi poſſit. Ut taceamus, neqve os commodum ὄργανον eſſe, qvô fiat tanta converſio. Et qvomodo ita mutari poterunt, ſi ne *coqvuntur* qvidem ibi? Nullam verò fieri in ore coctionem, docuit jam olim Ariſtoteles *II. de partib. animal. cap. III.* ajens: αὕτη μὲν οὐδεμιᾶς αἰτία πέψεως, ἀλλ' εὐπεψίας μᾶλλον. ἡ γὰρ εἰς μικρὰ διαίρεσις τῆς τροφῆς, ῥᾴω ποιεῖ τῷ θερμῷ τὴν ἐργασίαν· ἡ δὲ τῆς ἄνω καὶ τῆς κάτω κοιλίας, ἤδη μετὰ θερμότητος φυσικῆς ποιεῖται τὴν πέψιν. *Hæc (ciborum in ore comminutio,* qvam *primam adminiſtrationem* vocat *ibid.) nullius coctionis cauſa eſt, ſed facilitatem concoqvendi potiùs præſtat. At ſuperior & inferior venter jam cum calore ſuo naturali concoquendi officio funguntur.* Cum qvibus conferantur, quæ prolixiùs diſputat Nobiliſſimus Sebizius *Lib. V. de aliment. facultat. Probl. X. & Dispp. de natural. facultat. V. corollar. I.* Qvapropter, ut

ut diximus, mutatur ſaltim in ore cibus, non autem coqvitur, neqve immutatur.

§. XXXI.

Manſus verò ubi eſt, *ex faucibus in gulam* ſive οἰσόφαγον, & ab hoc porrò *in ventriculum* demittitur, ut coqvatur & immutetur. Etenim, ut iterum Ariſtoteles inqvit *locô citatô*, ςόμα τῆς ἀκατεργάςε τροφῆς πόρ⊗ ἐςὶ, καὶ τὸ προσεχὲς αὐτῷ μόριον, ὃ καλᾶσιν οἰσόφαγον, ὅσα τῶν ζώων ἔχ τᾶτο τὸ μόριον, ἕως ἂν εἰς τὴν κοιλίαν, *os cibi non confecti meatus eſt, atqve etiam pars ei annexa, qvam gulam appellant, in iis animalibus, qvibus data eſt, cibum usqve ad ventriculum deducit.* Unde & ex hôc ipsô munere inditum esſe parti illi nomen οἰσόφαγ⊗, aliqvi putant: *qvòd ea ferat, qvæ eduntur. Eſt enim via cibi*, ſcribit *in Lexico ſuo Medico* Barthoлом. Caſtellus. In qvô qvidem ductu (qvi *deglutitio* nonnullis dicitur) nihil conſideratu dignum occurrit, præter cauſas, ſive partes illas, à qvibus truditur. De qvibus, ut & præcedente manducatione, qvùm eleganter disſerere Tullium videamus *II. de naturâ Deorum*, ejus verbis iſta omnia nunc deſcribemus. *Dentibus* (ait ille) *in ore conſtructis manditur, atqve ab his attenuatur, ac molitur cibus. Eorum adverſi acuti morſu dividunt eſcas, intimi autem conficiunt, qvi genuini vocantur: qvæ confectio etiam à lingva adjuvari videtur. Lingvam autem ad radicem hujus hærens excipit ſtomachus*, (nam & hoc nomine priſcis, cumprimis Ariſtoteli, vocatum eſſe οἰσοφάγον, patet) *qvo primùm illabuntur ea, qvæ accepta ſunt ore. Is utrâqve ex parte tonſillas attingens, palato extremo atqve ultimo terminatur. Atqve is agitatione & motibus lingvæ cum depulſum & qvaſi detruſum cibum accepit, depel-*

pellit in ſtomacho ſubjectam alvum, in qvâ multa ſunt mirabiliter effecta, qvæ conſtant ferè ex nervis. Eſt autem multiplex & tortuoſa, arcetqve & continet, ſive illud aridum eſt, ſive humidum, qvod recipit, ut id mutari & concoqvi facilè posſit. Eaqve tùm aſtringitur, tùm relaxatur, atqve omne qvod accepit, cogit & confundit. Hæc Tullius.

§. XXXII.

In hâc igitur mutatione, qvæ *in ventriculo* peragitur, multa & varia occurrunt conſideranda: qvorum *primum* eſt *adcesſio atqve admixtio potus.* Etenim non ſolos *cibos* ingerimus, ſed & *potus.* Et non minor fortè eſt horum necesſitas, qvàm illorum, ſi experientiæ habemus fidem. Non modò enim itidem, ut cibi, ſunt *materia chyli*, ſed conferunt etiam ad ipſam *coctionem & χύλωσιν.* Nam liqvidi dum ſunt, cibis ſolidis ac duris ſuperfuſi faciunt, ut etiam hi liqvari atqve fundi posſint. Deinde cùm eorum coctio (qvam *elixationi ſimilem esſe*, mox oſtendemus) in humidô peragi debeat, cujus qvidem ſufficiens copia in ipſis non habetur, ad illam (ferè dixerimus) ſimpliciter reqviruntur. Unde & alter appetitus (duplicem enim conſtat esſe alimenti appetitum, alterum *calidi & ſicci*, qvi *fames* dicitur, alterum verò, qvi *ſitis* vocatur, *frigidi & humidi*) in ipſos fertur. Et docet iterum experientia, ſine adſumptô potu impediri coctionem, cibosqve indigeſtos & qvaſi torridos linqvi. Nec ἄλογον eſt, qvod multi addunt, *reſtingvere eumdem, dum frigidus eſt, ardorem ventriculi, &, qvô minùs pingve, qvod in cibis latet, inflammetur, impedire.* Eſt verò etiam ipſe *alimentum aliqvod, & chyli materia.* Utut enim ipſius maxima pars abeat iterum

rum ante chyli ſeparationem atqve diſtributionem, attamen non probabile eſt planè nihil de ipsô manere, chyloqve accedere. Qvin potiùs ſicuti *in ipſo coqvi ſolida* conſtat, ſic & *chylum*, qvi ex omnibus ingeſtis miſtum qvid eſt, *aliqvid ex ipſo accipere* eſt probabile. Qvid? qvod exinde ſeorſim *humidum, qvod effluxit in corpore, reſtitui* vulgo in Scholis tradatur? Adeoqve hôc ipsô *partem alimenti esſe potum*, ſit communis opinio?

§. XXXIII.

Ubi non præter rem fortè fuerit, ſi breviter genera *potuum* recenſuerimus. Sciendum ergò, nomen *potus* (Græcis dicti *πόμα, πόσις, πότημα, ποτὸν, ποτὸς*, à verbo *πίνω*, qvod eſt *bibo*,) ſumi aliqvando pro *qvôvis liqvidô, qvod alimenti gratiâ adſumitur*. Qvomodo ſumtum dum *cibo* opponitur, per hunc intelligitur ſolummodò *alimentum ſolidum*. Et ita accipi legimus ab Hippocrate *Aphor. XI. Sect. II.* ubi ait: *ῥᾷον πληροῦσθαι ποτοῦ, ἢ σιτίου*, *faciliùs esſe, reficipotu, qvàm cibô*, h. e. *citiùs & expeditiùs refocillari, qvi humidis ac liqvidis alimentis opus habent, qvæ faciliùs concoqvuntur, celeriúsqve diſtribuuntur, qvàm qvi ſolidis*. In eumdem ſenſum etiam dicitur in Scholâ Salernitanâ *cap. XXXVIII.*

Ut vites pœnam, de potibus incipe cœnam.

Vult enim, *initium cœnæ à liqvido, concoctuqve facili alimento esſe faciendum*. Verùm hoc ſignificatu multa includi, qvæ aliàs non tàm inter *potus* qvàm *cibos* referri ſolent, eſt manifeſtisſimum. Sic enim & *lac*, & *brodia carnium*, & *juscula*, qvæ ex variis rebus parantur, & *qvævis decocta*, & pariter *ova tremula ac ſorbilia* etiam *potus* erunt vocanda, qvæ tamen ad *ciborum*

E clas-

claſſem magis pertinent. *Strictiùs* ergò ſumitur *potus* pro *ſubſtantiâ liqvidâ & fluidâ illâ, qvæ ſitis extingvendæ gratiâ adſumitur, actuqve & potentiâ humida eſt.* Cujus qvatuor claſſes ac genera conſtituit Sebizius *proœm. in Lib. IV. de aliment. facultatibus.* Primum vocat *nutritivum, qvô humida corporis ſubſtantia reparatur.* Secundum *ſitis ſedativum, qvô ad explendam ſitim utimur.* Tertium *delativum ſive diſtributivum, qvod alimentum concoctum per anguſtos venarum meatus ad partes alendas deducit, dictum ideò ab Hippocrate lib. de aliment.* ὄχημα τῆς τροφῆς: *vehiculum alimenti.* Qvartum deniqve *permixtivum, qvod cibos in ventriculo miſcet, qvatenus eos liqvando qvaſi fundit, liqvat & diſſolvit.* Ubi qvidem illô ſecundi generis, qvem *ſedativum* appellat, *ſolummodò ſitim ſedari*, nihil autem ulterius fieri, & præſertim *nullam chyli particulam conſtitui*, difficile probatu videtur.

§. XXXIV.

Qvemadmodum verò ad reſtingvendam ſitim potus appetitur atqve adſumitur, ſic varias ejus ſpecies elegerunt, qvasdam autem confecerunt ac paraverunt ipſi ſibi homines. Ut benè Plinius *hiſtor. natural. Lib. XIV. cap. XXII.* dixerit, *in nullâ parte operoſiorem eſſe noſtram vitam: ceu non ſaluberrimum ad potum aqvæ liqvorem natura dederit, qvô cætera omnia animantia utuntur.* Nam CVC. diſtinctæ ſpecies, apud diverſas nationes diverſis nominibus inſignitæ, ab ipsô recenſentur *ibid.* qvibus procul dubio & aliæ ex hiſtoriis addi posſunt. De qvibus interim nos pluribus agere nunc ſuperſedemus, (neqve enim ad noſtrum pertinet inſtitutum) cupidum lectorem ad ſœpè laudatum Sebizium, qvi curioſisſimè plurima

gene-

genera collegit atqve deſcribſit, amandantes. Si cui etiam ad manus fuerit *diſputatio de alimentis* Philippi Scherbii, Profesſoris olim Altorphini clarisſimi, Anno cIↄ Iↄ CIV. edita, poterit in eâ, qvaſi in compendiô, pleraqve illorum non recenſita modò, ſed & doctisſimè expoſita videre. Nos ut hæc obiter ſaltim adducere voluimus, ſic misſis omnibus ad chylum nunc redimus, & qvæ in ejus productione in ventriculô porrò obſervanda ſint, explicare pergimus. Occurrit autem *ſecundò* notandum hoc, qvod *ingredientes cibi eô ordine qvaſi locentur & conſiſtant, qvô adtesſere; niſi fortè ex nimiô potu diſtentus, aut etiam violentè commotus ventriculus fuerit.* Tunc enim ſi, qvæ in eo continentur, etiam dimoveantur, ſitumqve mutent, non eſt mirum; id qvod in ſectis vivis canibus obſervavit & optimè adnotavit CL. Wallæus *Epiſt. I. de motu chyli & ſangvinis.*

§. XXXV.

Tertiò notandum, *acceptos cibos ventriculum interiore tunicâ ſuâ περιέχειν, arctisſimè ambire atqve complecti.* Qvod ſcilicet necesſarium erat, ut facultate ejus illi mutari posſent. Omnis enim motus, omnisqve actio naturalis fit *per contractum*, ut ex Phyſices generalis præceptis nobis conſtat. Benè verò iſtum *ventriculi amplexum* iterum oculari fide deſcribſit Wallæus, ita inqviens: *Qvem recipit cibum ventriculus, etiamſi duarum tantùm unciarum ſit, manifeſtò undiqvaqve complectitur: non abſimili ratione, ac plicatas crumenas globulum videmus continere.* Et addit: *Simul etiam coarctatur ſuperius inferiusqve orificium: qvod factô in viciniâ foramine* (in corporibus ſcilicet brutorum, ex qvibus experientias ſumere citra ſce-

 leris

leris notam licet) *immiſſo digitô ſtylôve promptum eſt explorare. Inferius tamen orificium dum deprehenditur planè occluſum, concidiſſe potiùs, qvàm eſſe conſtrictum videtur, qvod minimâ compreſſione chylum ſinat transfluere.* Qvæ omnia qvidem etiam à veteribus adſerta eſſe legimus, dum in Scholis Galenicis iſtâ *orium ventriculi occluſione* nihil ferè eſt notius. Non rarò tamen (monente eôdem Wallæô) *ventriculus debilior orificiaqve ab illâ naturali conſtrictione deficiunt, & tum laxiora ſentiri ſolent.*

§. XXXVI.

Qvartò ſciendum, ex inſpectione ſectorum brutorum conſtitiſſe, cibum in ventriculô retentum primò totum *permadeſcere:* deinde *poroſum, & planè ſpongioſum fieri:* paulò poſt *incidi, & in minima qvaſi diſcerpi fruſta, tàm craſſiorem, qvàm tenuiorem, in canibus etiam ipſas ovorum teſtas:* porrò *commixtum ita liqvori per minima, tractu temporis conſiſtentiam qvaſi tenuioris cremoris hordei adipiſci,* poſteaqve *per alterum ventriculi os,* qvod πύλωρος Græcis dicitur, *ad inteſtina abire.* Qvæ itidem his ferè verbis adnotavit laudatiſſimus Wallæus, docens etiam, *commutationem hanc æqvè citò non omnem cibum accipere, ſed peragi eam breviori morâ de die, in cibo pauco, tenui, benéqve maſticatô, longius verò tempus expoſcere noctu, cumprimis craſſum, magnâ copiâ magnisqve fruſtis deglutitum: ut ita, qvi dentibus benè comminutus eſt, in cremorem mutari incipiat, qvando hic, qvem majoribus devoravimus partibus, etiamnum ſolidus eſt.* De varietate verò ciborum diſſerens ille, inqvit: *Lac, juſculaque de die horæ ſpatio aut citiùs ſuam perfectionem accipiunt, &, niſi aliud impediat, tum qvoqve diſtribuuntur.*

untur. Panis ratione concoctionis medium videtur ſubſtantiæ habere modum. Videre autem eſt eum primâ horâ cum dimidiâ immutari qvàm minimùm, ſeqventi hora rarum & prorſus madidæ ſpongiæ ſimilem fieri, eâ elapsâ in minima dividi fruſtilla, & potui permixtum totum liqvidum apparere, mox maximè concoqvi, ac tandem qvod è pane concoctum eſt, inter qvartam qvintamqve ab aſſumptione horam, per pylorum à ventriculo ad inteſtina propelli. Remanere verò aliqvid à pane reliqvum, & illud ſenſim debitam perfectionem accipere, ut & ſi qvis alius cibus cum pane fortè ingeſtus ſit, qvi eô concoctu ſit difficilior. Qvos hôc animadvertimus ordine concoqvi: Primum legumina, inde piſces, mox carnes, & eas demum intra ſextam ſeptimamqve horam perfici & excerni: Bubulam intra ſeptimam & octavam: etiamnum tardiùs earum partes membranoſas, & ovorum teſtas; oſſa in tertium usqve diem manſiſſe in ventriculo, & inter ea facta eſſe cartilaginea vidimus. Imò in horummet ciborum partibus magna ſæpè varietas conſpicitur, ut è pane carneqve, etiamſi integræ in ventriculo videantur, aliqvid tamen, licet exigua copia, primâ qvandoqve horâ ad venas lacteas distribuatur. Adeò ut qvidqvid concoctum eſt, alterius coctionem neutiqvam expectet, nec ab incocto qvoqve remoretur, ſed qvamprimùm excidat, & ad inteſtina transferatur: imò raro, etiamſi ante horas ſedecim canis comedit, ventriculus cibo planè vacuus reperitur. Hæc experientisſimus Wallæus.

§. XXXVII.

Ex qvibus ſimul patet *tempus, qvô abſolvitur ciborum in ventriculo coctio ac transmutatio*, qvod *qvintò* hîc notandum erat. Qvæ verò non eô ſenſu acci-

 pi de-

pi debent, qvaſi *univerſaliter* & *de omnibus* valeant. Differunt enim homines inter ſe non modò *ætatibus, temperamentis, & ſanitate*, ſed & *ſexu, generibus vitæ, regionibus* qvas incolunt, & modis aliis. Unde ſicuti non una omnium eſt ratio vel natura, ſic ſi in illô, qvi conſtitutionis calidioris eſt, & fortè ex loco, qvô habitat, vehementiore motu, cui indulget, cauſisqve aliis calorem ſuum auget magis, citiùs peragatur concoctio, qvis miretur? Inde ſanè venit, qvod qvosdam ſingulô die *ſemel* ſaltim cibos adſumere videmus, alios verò *bis*, aliqvos etiam *ter, qvater, qvinqvies, aut ſæpies.* Ad qvam varietatem porrò non parùm qvoqve *anni partium*, itemqve *tempeſtatum* diverſitas confert. Qvo reſpicientem ipſum etiam Hippocratem *aphor. XV. ſect. I.* ſcribſiſſe legimus, *qvoniam ventres hyeme & vere naturâ calidiſſimi ſunt, homines etiam* τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖστον, *plus calidi innati habere, & pluribus etiam egere alimentis.* Qvin meminit *ibid.* qvoqve *ætatum ac athletarum*, innuens, *pro ætatis ratione & vitæ genere etiam variare rationem victus.* Et clariùs *aph. XVIII.* ait, θέρεος καὶ φθινοπώρου σιτία δυσφορώτατα φέρειν, χειμῶνος ῥῇστα, ἦρος δὲ δεύτερον. *æſtate & autumno difficillimè hos ferre cibos, hyeme facillimè, vere verò minùs.* Qvæ omnia qvidem ſunt evidentisſima.

§. XXXVIII.

Sextò ſciendum, coctis jam atqve ad inteſtina demisſis alimentis ulteriùs commiſceri *bilem*, ex ciſtâ vel veſicâ bilariâ per ductus iſtos, qvos πόρους χοληδόχους Græci vocant, prope inteſtini jejuni principium, vel duodeni finem infuſam, ſimulqve deinde *ſuccum ſubacidum alium*, advectum per *ductum pancreaticum*

illum,

illum, qvem ante hos qvatuor & viginti annos Patavii primus demonſtravit Jo. Georg. Wirſungus Bavarus, deinde verò obſervârunt etiam curioſiores alii, & nuperrimè prolixiùs deſcribſit, doctisſimôqve commentariô illuſtravit Regnerus de Graff Batavus. Ex qvorum liqvorum admiſtione qvidem iterum *alterari masſam chyloſam*, ſenſus docent, aliqvi verò etiam conjiciunt, qvoniam egresſæ jam illi, & in tenuibus inteſtinis moranti adcedunt, *facere ad ipſius depurationem, partiumqve utilium extractionem.* Nam, uti *ſeptimò* notandum, ſi ſenſibus habenda fides eſt, *ad inteſtina abit omne, qvod in ventriculo fuit coctum.* Qvod verò totum cùm alibile non ſit, ſegregantur ex eô ἐπεργλύεια, & tanqvàm *inutilia* ad *inteſtina craſſa* delegantur, (ex qvibus poſtmodum etiam excernuntur) pars verò *utilis*, (qvam ſolam *verum chylum* esſe in antecedentibus monuimus) ſervatur, & ad loca necesſaria provehenda *venis lacteis* committitur: qvemadmodum de hoc ipſius *motu & vaſis* inferiùs ſeorſim nobis dicendum erit.

§.XXXIX.

Tandem *octavò* notandum, *inſignem mutationem pasſa esſe adſumta alimenta, omnibus ferè ſenſibus percipi.* Et qvidem de *qvalitatibus tactilibus* ex iis, qvæ hactenus recenſuimus, res eſt liqvidisſima. Qvod autem *colores* attinet, illi non ſemper iidem ſunt *in ventriculô*, ſed variant pro varietate adſumtorum. Qvicunqve verò fuerint, remittuntur ſenſim & diluuntur, ut *cremor in inteſtinis tenuibus contentus* utplurimùm appareat *ſubcineritius.* Extractus autem, & *in venas lacteus adſumtus chylus* ſemper eſt *albus.* Similiter mutantur etiam *ſapores.* Ut falſisſimum ſit,

qvod

qvod communi qvaſi traditione in Scholis Galenicis adſertum hactenus fuit, *lacteam dulcedinem ineſſe chylo.* Cui qvidem cùm contradixerit Joannes Baptiſta van Helmont *tractatu de ſextuplici digeſtione alimenti humani*, non dulcem, ſed *acidum* primùm, deinde verò *ſalſum*, & porrò *amarum* fieri cremorem contendens, anſam dedit eruditis in veritatem ejus paulò adcuratiùs inqvirendi. Qvorum proinde induſtriâ compertum hactenus fuit, *in ventriculo contento cremori acorem ineſſe, in duodeno verò illum recedere ad amaritiem,* & deniqve *venis lacteis commiſſum chylum ſubdulcem, imò qvaſi inſipidum, omniqve priori ſapore liberatum videri.* De qvâ ſaporum varietate ex ſectis pluribus animalibus cognitâ videri cumprimis poteſt B. Chriſtoph. Schelhammerus, Salanæ hujus Profesſor Anatomicus etiamnum clarisſimus, *Diſſertat. de humoribus humani corporis I. cap. XIV.*

§. XL.

Atqve hæc ferè ſunt, qvæ fieri in ventriculo ac inteſtinis ſenſus obſervant. Qvi verò, *unde, & cur ea omnia fiant,* veluti non percipiunt, (de nullo enim, qvod cognoſcunt, cognoſcunt aut adſerunt τὸ διά τι, *propter qvid ſive cauſam,* monente optumè Ariſtotele *I. Metaph. cap. I.*) ſic hæc per rationem indaganda ſunt homini. Unde & de iis curioſisſimos naturalium ſcrutatores fuisſe legimus, & cumprimis disputâsſe, *cujus potentiâ ac facultate producatur chylus? Qvôve motus genere producatur?* Et qvidem, ut *ſuprà* §. *VIII.* meminimus, de Eraſiſtratô refert Corn. Celſus, qvod *atteri cibos in ventriculo* dixerit. Qvod verò veluti ſenſibus minimè conforme esſe patet, (neqve enim vel *eſculenta* vel *potulenta* talia ſunt, qvæ *attritionem* admit-

mittant) ſic nec videmus illam ſententiam adproba-
ores aliqvos invenisſe ex poſteris, ſed exſpirâsſe po-
iùs cum Auctore. Deinde verò Pliſtonicum, Praxa-
goræ diſcipulum, memorat idem Celſus ſtatuisſe, *pu-
reſcere cibos.* Qvod propugnâsſe etiam plures alios,
& currente hôc ſeculô Petrum Caſtellum Romanum,
Hippocratisqve & Paracelſi auctoritate confirmâsſe,
qvidam tradunt. Et ſanè Hippocrates Librô περὶ παθῶν
de *inteſtinorum morbis* dum disſerit, ait, λειεντερίαν διαχωρεῖν τὰ σιτία ἄσηπτα, ὑγρά, *lienteriam demittere cibos
non putrefactos, liqvidos.* Eôdemqve vocabulô uti-
ur iterum poſt pauca interjecta, & etiam *alibi.* Simi-
liter & Paracelſus *Lib. II. Param. cap. I. de efficacia ad-
ſumtorum medicamentorum* agens, expresſè ſcribit, *ſi
profuturæ eæ ſint, necesſariò debere putreſcere,* neqve
aliô verbô ibi utitur. Eôdem modô etiam loqvi vi-
demus Nathanaelem Highmorum Medicum Oxonien-
ſem *disqviſit. anatom. corporis humani Lib. I. Part. III.
cap. I.* Utut enim hic aliàs tàm *chylum* qvàm *ſangvinem*
per σύγκρισιν καὶ διάκρισιν fieri putet, eôqve ex parte o-
pinioni Anaxagoræ *ſuprà* à nobis expoſitæ ſubſcribat,
in explicatione tamen illius dogmatis ſui inter alia
etiam ponit nomen *putrefactionis.* Ait ſcilicet ita: *Con-
coctio ſolummodò eſt partium in corpore heterogeneô ſe-
paratio, & eadem eſt actio cum putrefactione, ubi ab a-
gente externô elicitur principium unionis. Sic in ven-
triculo aut hepate humidum & calidum corporis conco-
qvendi à calore & humidô ventriculi aut hepatis elici-
untur, partesqve, qvæ modò cum contrariis (dum fuerint
in ſtatu ligato) qvietæ manſerunt, jam ab externo calo-
re liberantur, liberatæ autem qvævis particulæ, qvæ
heterogeneis & contrariis modò unitæ fuerunt, jam unio-*

 nem

nem illam repudiant, & cum partibus homogeneis & cognatis ſeſe jungere conantur. Atqve ſic miſtorum unio tota disſolvitur, partesqve (ut loqvitur Galenus) diffunduntur, & in minimas particulas comminuuntur, ut facilius vaporeſcere posſint. Porrò *coqvi cibum atqve potum*, adeoqve *coctione immutari*, communior eſt opinio, qvam & pleriqve omnes recentiores tenent, plurimi licet pro nomine *coctionis* ſubſtituant nomen *fermentationis*.

§. XLI.

Sed qvantum ad *vim ac facultatem*, qvâ vel fermententur, vel coqvantur, vel putreſcant alimenta, de eâ maxumus eſt Auctorum disſenſus. In Scholis qvidem Peripateticis *coctionum cauſa* nunqvàm alia agnita fuit, præter τὸ θερμὸν ſive *calidum*: idemqve & Hippocratem docuisſe, liqvidô eſt liqvidius, & teſtatur iterum, qvem *ſuprà* allegavimus, Corn. Celſus. Verùm hôc calidô noluit adqvieſcere Galenus, qvin noluit, *calido vel frigido actionem aliqvam tribui in viventibus*, ſtatuit autem, *ſingulæ actionis cauſam esſe peculiarem* δύναμιν, esſeqve ſic etiam *ventriculo facultatem concoctricem*. Qvod cum illo magiſtro ſentiunt etiam innumeri alii, ut in Scholis Medicis Galenicis nomine *facultatis* nullum ſit communius. Qvi interim concedunt, *calorem* esſe etiam *cauſam*, ſed ſaltim *inſtrumentalem, facultati ſubornatam*. Sed alii etiam ab his disſentientes, *calori omnem in coqvendo vim detrahere* laborant; idqve fecisſe Ferriolum *tractatu de debil. ventric.* refert B. Moebius, Profesſor hujus Salanæ olim fidelisſimus, & celebratisſimus, *fundament. Medic. Phyſiolog. cap. XI.* Porrò recentiores fermentationis Patroni utut *ventriculi calidum* non negent, *non tamen ſuf-*

ſufficere iſtud putant *ad abſolvendam concoctionem.* Addunt igitur agens qvoddam aliud, nempe *fermentum.* De qvô qvidem acerrimè decertant, ut vix duos vel tres plenè conſentientes liceat videre.

§. XLII.

Ut enim potiores ſaltim referamus ſententias, volunt qvidam, iſtud *fermentum* eſſe *ſuccum melancholicum illum è liene in ventriculum miſſum, cujus meminere Galenus V. de uſu part. cap. IV. & Avicenna Lib. I. can. fen. I. doctr. IV. cap. I.* Aliqvi verò potiùs *portionem melancholiæ, præ craſſitie in lienem non conſcendentem, ſed à venæ deferentis ramo aliqvô, ante hujus in lienem ingreſſum, ad os vnntriculi adlatam.* Alii ex adverſo *humorem acidum* eſſe ajunt, *per vas breve arterioſum,* aut *arterias cœliacas advectum,* aut ſaltim *inſpiratum ſingulari modô.* Qvidam etiam adducunt *bilem per πόρους χολιδόχους* circa ventriculi fundum infuſam. Nonnulli porrò *ſpiritus* peculiares *famelicos, eſurientes & ſitientes, qvi poſt abſumtam alimenti & ciborum materiam confeſtim aliam novam adpetant, qvam attractam acidâ ſuâ & mordaci diſſolvendi ac conterendi facultate confringant.* Alii præterea *liqvorem ſalivæ ferè ſimilem, ſed acriorem, ex arteriis ventriculi adcedentem.* Alii *humorem ex interiori ventriculi tunicâ continuò exſudantem.* Alii *humorem acidum inſitum & congenitum, fotumqve perenniter ac renovatum ex relictis chyli portionibus, vel auctum ex ſeroſô humore acidulo à liene eructatô.* Alii *humorem non acidum, ſed ſalſum, ventriculo connatum, & auctum ex chyli reliqviis.* Alii *ipſorum alimentorum qvalitates contrarias, ad pugnam incitatas atqve evocatas vel à calore ventriculi, vel ab alimentorum reliqviis in ventriculo adſcendentibus.*

 §.XLIII.

§. XLIII.

Et qvis omnia, qvæ adſeruntur hodiè à variis, fandô enumeret? Sicut enim horum ferè non eſt numerus, ſic multi licet diverſum ab aliqvô adlatorum non ſentiant, ita tamen proponunt ſuam doctrinam, ut disſentire videantur. Et, ut unum ex omnibus nominemus, Martinus Kergerus Phyſicus Lignicenſis, *Lib. de fermentat. ſect. III. cap. II.* ita diſputat, ut nulli præcedentium ejus mentem conſentaneam esſe videamus. Primò enim negat, *ſolum calorem, ſive proprium, ſive mutuatitium, chylificationis cauſam esſe posſe*; qvin ait, *videri, ac ſi in piſcibus fiat potiùs beneficiô frigiditatis animalis, & à forma directæ.* Deinde probat qvidem doctrinas Neotericorum, qvi *in fermentatione ciborum potusqve coctionem conſiſtere* cenſent. Sed tertiò etiam ab iis abit, qvi *hanc fermentationem aliam* vocaverunt *ab iſta tralatitia, qvâ vulgo muſtum, cereviſia, & ſimilia fermentari dicuntur.* Deniqve concludens inqvit, *fermentationis cauſam efficientem principalem esſe formas ciborum ſubjugatas, qvæ dum forma earum princeps alius formæ fortioris jugo cervicem ſubdere cogitur, libertatem & vitam nobiliorem affectantes, fermentationem cieant: ex adjuvantibus verò cumprimis esſe inditum ventriculo fermentum naturale, cujus deperditio ex ipſis cibis concoctis qvotidiano ſupplemento reſtauretur, qvodqve ideò disparis ſit naturæ non modò in diverſis animalibus, qvæ diverſa adſumunt alimenta, ſed & in iis, qvæ ſunt ejusdem ſpeciei, qvin in eodem qvoqve individuo, qvod nunc durioribus, nunc mollioribus, nunc dulcibus, modò amaris, acidis, ſalſis, auſteris, inſipidis, &c. veſcitur.* Et ubi ſic his duobus potiores detulit partes, addit, *juvari etiam fer-*

men-

mentationem egregiè per calorem externum, exercitia, & motus blandiores. Sed hæc profectò omnia nemo ex antecedentibus cogitavit. Ipſe etiam Kergerus hanc ſententiam pro ſingulari habere videtur, dum inqvit, *immunem eam esſe ab omnibus difficultatibus aliarum, fermentum ſuum aliunde in ventriculum derivantium.*

§. XLIV.

Maxumus ergò eſt Auctorum disſenſus in iſtis qvæſtionibus, ut non mirum ſit, qvi de eo audit, illius animum reddi dubium atqve incertum. Et ſanè non diffitemur, idem ferè nobis etiam accidere, præſertim cùm videamus, multa hîc nec ex ſenſu patere, nec ex certa demonſtratione. Qvalia ſcilicet ſunt omnia illa, qvæ in qvæſtione poſteriore de *fermento* vel *connato* vel *in ventriculum advectô* à variis dicuntur. Neqve enim vel *hoc* vel *iſtud* ſenſibus licet obſervare aut demonſtrare, ſed à qvibus adſeruntur, adſeruntur ex merâ conjecturâ: qvemadmodum id etiam multi eorum Patroni expresſis verbis ipſi ajunt. Ubi verò ſimul & hoc cogitare debuisſent, *juſtane ſit conjectura illa, & urgeatne necesſitas, ut multiplicentur entia?* Hæc namqve regula, aliàs catholica & indubitabilis apud omnes, in præſenti probè videtur conſideranda. Qvam proinde etiam nos nunc recolimus, ne fortè, ſi reſponſio aliqva ad prædictas qvæſtiones danda eſt, in illam impingamus. Dummodò enim hoc evitaverimus, neqve porrò manifeſto ſenſuum teſtimonio aut evidenti rationi contradixerimus, nullius metuemus cenſuram, etiamſi aliàs omnibus fortè non placuerimus.

§. XLV.

Qvemadmodum autem *mutari adſumta alimenta* nemo fortè ambiget, ſic ſi cum *illis* ipſum *chylum* comparamus, tantum deprehendimus diſcrimen inter ea, ut *nullâ ferè qvalitate ſenſili convenire* dici posſit. Ut inde, ſive has pro *affectionibus ac propriis*, ſive ipsâ *formâ chyli* qvis habuerit, (neqve enim aliter qvam *per ſe de chylo* dicuntur, neqve ab

hoc ſeparari posſunt ſine illius interitu) rectisſimè *genera-tionibus* adcenſeri iſta mutatio, indeqve dici posſit, *chylum ex alimentis esſe genitum.* Et licet obtendere nonnulli velint, *infuisſe ipſum, & ſaltim ſeparari atqve excerni debuisſe*, nullum tamen à ſenſibus impetrabunt teſtimonium. Adſerere autem, *infuisſe*, vel *inesſe atqve excerni*, verba ſunt manifeſtum ſenſuum adſenſum necesſariò reqvirentia. Qvi proinde cùm deſit, ex adverſo autem τὰ περεπόμενα κατὰ τὴν ὕλην, ut *ſuprà §. XVI.* ex Ariſtotele vocavimus, pasſim plura occurrant in naturâ hâc, (qvæ aliàs dum ignoravere vel negavere Veteres, in contrariam opinionem illam incidere, ut itidem *ſuprà* oſtendimus) dicimus potiùs nos, *non infuisſe, ſed ex alimentis mutatis fuisſe genitum.* Ita enim non contradicente ſenſu docet ſana ratio.

§. XLVI.

Dehinc, qvùm *chylum ex variis alimentis produci* conſtet, (qvæ omnia ſcilicet nutritionis gratiâ adſumuntur) *mixtionem aliqvam hîc concurrere* ſeqvitur. Minimè namqve aliàs *ex pluribus unum qvid* fieri posſet. Et qvoniam porrò omne *mixtum* interventu *coctionis* oritur, itidem *alimenta*, ut miſceri posſint, *coqvi ac digeri* oportet. Neqve enim omne, qvod in illis eſt, vel mixtioni, vel ipſius chyli conſtitutioni conducit. Qvemadmodum qvidem de hoc etiam nullum inter Auctores exiſtit dubium: certè nullum inter recentiores. Saltim obſcuriùs paullò videdetur, *qvæ coctionis ſpecies hîc locum habeat?* Qvod verò facilè pariter licebit cognoſcere, ſi modò *coctionum ſpecies*, qvæ vulgo nominari ſolent, rectiùs conſideraverimus. Scilicet, nec *asſatio* eſt, nec *maturatio*, ſed *ſimilis elixationi*, qvoniam *fit à calore humido, ſive in humido exiſtente.* Eſt enim *elixatio*, ut Ariſtoteles *IV. Meteor. cap III.* explicat, πέψις ὑπὸ θερμότητος ὑγρᾶς τοῦ ἐνυπάρχοντος ἀορίστου ἐν τῷ ὑγρῷ, *indefiniti in humido exiſtentis à calore humido coctio.* Non interim eſt *vera elixatio*, & talis, qvalis communiter dici ſolet. Hâc enim nullum efficitur *liqvidum*, ſed potiùs ἑφθὸν, *ſolidum:* qvod fit, (docente eôdem Ariſtotele *ibid.*) dum

ἐκ-

ἐκκρίνεται ἐξ αὐτοῦ τὸ ὑγρὸν ὑπὸ τῆς ἐν τῷ ἔξω ὑγρῷ θερμασίας, *excernitur ex ipſo* (qvod elixatur) *humidum à calore humidi externi.* Jam autem *duros, ſolidos, acidosqve cibos*, qvando coqvuntur, *liqveſcere*, & *chylum corpus verè liqvidum eſſe*, ſenſus manifeſtisſimè vident. Saltim igitur ὁμοία ἑψήσει ἐστί· καὶ γὰρ ἐν ὑγρῷ καὶ θερμῷ ὑπὸ τῆς τοῦ σώματος θερμότητος γίγνεται: *ſimilis eſt elixationi: nam in humido & calido à corporis calore fit*, ut iterum verisſimè inqvit *locô citatô* Ariſtoteles, & ex eo etiam Galenus *III. de natural. facult. cap. VII.* Nec abſurdè ſentiunt alii, qvi ajunt, eſſe coctionem illam alimentorum qvaſi *compoſitam ex liqvatione ac concoctione*. De qvo verò hîc prolixiùs disqvirere, non videtur operæ pretium.

§. XLVII.

Porrò ad mixtionem illam reqviri etiam videtur *alimentorum diſſolutio illa & in minima diviſio*, qvam ſtatim, ubi permaduere, & rara reddita hæc fuere, fieri, *ſuprà §. XXXVI.* oſtendimus. Neqve enim magna magnis, ſed parva parvis admota miſcentur, ut itidem *ſuprà §. XXVIII.* monuimus. Qvin reqviritur, ut non modò in minimas partes dividantur, ſed & *diſſolvatur in ipſis tota* (ut ita loqvamur) *compages, qvalitatumqve συζυγία*. Qvemadmodum enim, dum *ex alimentis generari chylus* dicitur, ſeqvitur, *hunc in iſtis non extitiſſe*, ſic nec *in chylo jam genito* posſunt *actu eſſe vel contineri alimenta.* Aliàs enim neqve *chylus* eſſet *mixtum qvid reſpectu alimentorum*, neqve *ejus generatio* poſſet rectè vocari *generatio*. ὅταν γὰρ ὅλον μεταβάλλῃ, μὴ ὑπομένοντος αἰσθητοῦ τινος, ὡς ὑποκειμένου τοῦ αὐτοῦ· ἀλλ' οἷον ἐκ τῆς γονῆς αἷμα πάσης, ἢ ἐξ ὕδατος ἀήρ, ἢ ἐξ ἀέρος παντὸς ὕδωρ, γένεσις ἤδη τὸ τοιοῦτον, τοῦ δὲ φθορά. *Cum enim totum mutatur, nec ſenſibile qvidqvam ut ſubjectum idem permanet, ſed perinde evenit, ac cum ex toto ſemine ſangvis, aut ex aqva aër, aut ex aëre totô aqva fit, hoc tale eſt generatio, illius verò corruptio;* docente Ariſtotele *I. de generat. & corr. t. 23.* Qvi idem *t. 86.* & de *mixtione* optimè ita inqvit: ἐπεὶ οὐκ ἐστὶ σύνθεσις ταὐτὸ καὶ μίξις, ἀλλ' ἕτερον, δῆλον, ὡς οὔτε κατὰ μικρὰ σωζόμενα δεῖ τὰ μιγνύμενα φά-

να φάναι μεμίχθαι. σύνθεσις γὰρ ἔςαι, καὶ ἐ κρᾶσις, ἐδὲ μίξις, ἐδὲ ἕξει τὸν ἀυτὸν λόγον τῷ ὅλῳ τὸ μόριον. *Cùm compoſitio non idem ſit, qvod mixtio, ſed aliud, patet, non oportere dicere, ea, qvæ miſcentur, eſſe mixta ſecundum exiguas partes, qvæ ſuam naturam adhuc retineant: compoſitio enim eſſet, non temperatura, neqve mixtio, neqve pars eamdem cum toto haberet rationem.* Qvæ ſcilicet omnia etiam ad *chylum*, de qvô loqvimur, trahere poſſumus.

§. XLVIII.

Et ex his etiam judicari poteſt, qvantum in hoc opere tùm *fermentationi*, tùm & *putrefactioni* ſit tribuendum. Etenim ζύμωσις ſive *fermentatio* (ut Anton. Günth. Billichii *anatom. ferment. Platon. cap. V. §. VI.* verbô utamur) *vox eſt panificio debita*, primoqve ac propriè notavit *maſſæ farinaceæ præparationem illam, qvâ attenuari ac rareſcere, tùm etiam deduci atqve extendi eam cernimus.* Deinde verò κατὰ μεταφορὰν dicta etiam eſt de *ſimilibus effervescentiis, qvibus intumeſcere corpora qvædam ſolent, nullâ licet re fervidâ foris adjectâ aut commiſtâ.* Quô ſenſu *terras & aqvas*, qvando vernô tempore ab adventante calore cœleſti attenuatâ humiditate rareſcunt, & in ſublime qvaſi attolluntur, item *ſemina*, ubi conceptô calore vitali in bullam aguntur ſpumoſam, & ſimilia alia, *fermenteſcere* dicimus, dixereqve Sapientes antiqviſſimi. Cumprimis autem uſurpatur iſtud nomen de *muſto*, dum fervet, deqve *cereviſia ac mulſis*, dum ſpumant. Unde ſi idem etiam ad *alimenta* qvis deducere voluerit, qvoniam coctio horum *vi caloris & qvâdam fuſione aut* χύσει peragitur, poterit qvidem id facere nemine contradicente. Verùm neqve negabitur ſic, qvod propriô magis & notiori vocabulô antiqviores ſignificavere, dum πέψεως ſive *coctionis interventu chylum parari* voluere, neqve res fortè explicabitur meliùs, ſed ſignificatu maxumè impropriô *fermentatio* ponetur, & tandem neceſſariò explicabitur aliis evidentioribus. Ut ideò magis miremur, qvid Mart. Kergerum moverit, ut diſſentire à B. Mœbio noſtro voluerit, neqve concedere, qvod hic dixerat *locô ſuprà citatô*

ató fermentationem in ſtomacho minimè communi illi ſimilem, ſed aliam planè, & certi generis esſe. Profectò enim disſimilitudo in *cauſis & modô* eſt manifeſtisſima, teſtaturqve etiam ipſemet Kergerus ſtatim initiô ſui tractatus, *natum esſe primùm fermentationis notitiam vel in officinâ piſtoriâ, cum piſturâ, vel* qvod tamen nondum probavit) *in ſuccorum, præſertim vini, apothecis, & de his accipi vocem illam propriisſimè; ſi verò pro qvalibet ζέσῃ, ebullitione & effervescentiâ ſumatur, ἀναλόγως & minùs propriè id fieri.* Igitur nec *propriè* dici ita poterit *coctio ciborum.*

§. XLIX.

Qvantum autem ad *putredinem*, legimus hôc nomine olim ab aliqvibus *qvamvis mixti corruptionem* fuisſe appellatam. Qvomodo qvidem *putreſcere in ventriculo alimenta*, eſt verisſimum. Solvitur enim temperaturæ atqve mixtionis ratio, quæ in ipſis eſt, novumqve mixtum (*chylus*) producitur. At verò neqve ſic ſatis explicatur *modus, qvô fit hic.* Non enim *putrefactio* eſt formaliter ipſa *miſtio ac generatio*, ſed hanc ſolùm præcedit. Ut dicere qvidem posſimus, *in putrefactione qvâdam fieri generationem chyli*, ſed non, *putrefactione fieri: qvaſi nempe ſatis ſit, dummodò alimenta putruerint.* Qvod fortè etiam non intendere Veteres, utut σήψεως nomine fuerint uſi. Rectisſimeqve eos excuſat doctisſimus Eraſtus *Dialogo de putredine*, ajens, intellexisſe ipſos potiùs talem *putredinem, qvæ ſit mutatio compoſita, qvâqve ambientis calor rem ambientem corrumpit, at ex eadem mox deinde aliud generat.* Qvibus ſimilia etiam B. Schelhammerus habet *Disſert. cit. cap. X.* qvem legisſe ſanè plurimum proderit.

§. L.

Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, ut judicari rectiùs ſententiæ *ſuprà* memoratæ posſint. Ut autem etiam de *efficiente chyli, mutationumqve, qvibus fieri ille dicitur*, conſtet, ante omnia notandum eſt, *chylum* non esſe corpus ὀργανικὸν, ſed (minimùm ad noſtrum ſenſum) ὁμοιομερές τι, ejusqve ὀυσίαν potisſimùm conſiſtere *in συλλήψει qvalitatum ſenſilium*, & cumprimis *tactilium* certarum, qvas in ipſo ſentimus. Sine his enim ne concipi qvidem poteſt, tantum abeſt ut ſit. Ideoqve etiam dum pro-

ducitur ex alimentis, mutatio maxumam partem ſecundum has qvalitates fieri videtur. Qvemadmodum ſcilicet hoc ad ſenſum patere, in *ſuperioribus* prolixè oſtendimus. Jam autem non *coctio* modò & *mixtio* circa *tactilia* maxumè verſantur, ſed nec ex aliis æſtumari ſolet *miſti generatio*, ut ex Ariſtotelis *IV. meteor. cap. I.* diſcimus. Proinde *immutatio alimentorum, chyliqve ex illis productio* fuerit ſanè ſolummodò *opus caloris* in noſtrô corpore; fruſtrà verò à Galenô adducitur hîc alia *facultas præſtantior.* Utut enim non negemus, qvoniam *in homine fit chylus*, vocari poſſe *opus animati atqve viventis*; attamen qvemadmodum multa *in & à vivente fiunt*, qvæ verò tantummodò *à qvalitatibus tactilibus*, qvibus conſtant illius partes, dependent, (qvalismodi exempla qvidem ſunt in propatulo) ſic nec *chyli productionem ab animæ facultate qvâdam eſſe* hinc ſeqvitur; qvid-qvid etiam contradicant Galenus *locô citatô*, & cum aliis ejus ſectatoribus Salluſtius Salvianus *Lib. I. de concoct. cap. III.* Ut taceamus, de Galenicis, tales facultates hinc inde urgentibus, rectiſſimè fortè dici poſſe iſtud Ariſtotelicum *II. de generat. & corr. t.* ς2 ἅπαντες μὲν ὀνειρώττουσι, λέγει δ' οὐδείς. *Omnes qvidem ſomniant eas, nemo tamen dicit.*

§. LI.

Porrò verò cùm *in ventriculo* fiat chylus, & *hunc calere* ſatis manifeſtum ſit, hinc neqve dubitari poteſt, qvin *ipſius calore* fiat. Qvin etiam, ſi *elixationi ſimilis* eſt alimentorum, ex qvibus fit, coctio, non ab aliô *calore* qvàm *externô* fieri debet: cùm in elixatione agens ſit *calor externus*: *calor*, inqvam, *exiſtens in humido, in qvo elixatur, qvod coqvitur.* Neqve his obſtat, qvod vulgo tradi ſolet; *ventriculum eſſe partem membranoſam & ſpermaticam, adeóqve naturâ frigidam.* Nam ut, qvanti pretii hoc ſit, nunc non dicamus; utpote qvod examinare longius reqvireret tempus, pertinet verò propriè ad doctrinam de *generatione ac formatione animalium*; optumè huic dubio conveniunt, qvæ Galenus *III. de potent. natural. cap. VII.* Eraſiſtrato reſpondit: ὥσπερ, ajens, ἢ τὴν αἴθυιαν δέον ὑποθεῖναι τῇ γαστρὶ, ἢ ἄλλως αὐτῆς ἀλλοιῶσαι τὰ σιτία μὴ δυναμένης. *Qvaſi vel æthnam ſubjicere ventri oporteat, vel aliàs alterari ab eo ci-*

-cibos non ſit poſſibile! Notum verò eſt, *ad ventriculum plurimas abire venas*, adeoqve ex earum ſangvine ipſius corpus, etiamſi naturâ caloris expers esſet, ſufficienter poſſe incaleſcere; præterea *ſitum ipſum etiam eſſe in imo ventre juxta alia calida viſcera*, qvæ contactu ſuo itidem calori augmentum addunt. Unde jam olim Ariſtoteles *III. de part. animal. cap. VII.* docuit, *jecur & lienem, qvoniam ſangvinea ſunt, & calidam naturam habent*, βοηθεῖν πρὸς τὴν πέψιν τῆς τροφῆς, *juvare ad alimenti coctionem.* Aptisſimè etiam Galenus *locô modò citatô* hæc aliaqve *propinqva viſcera* dixit esſe καθάπερ τινὶ λέβητι μεγάλῳ πυρὸς ἑστίας πολλὰς παρακειμένας, *veluti magno alicui lebeti adjacentes plures ignis focos.* Qvô ſimili & plurimi alii ſolent uti, *ventriculum lebetem vel ollam* vocantes, *circumjacentia viſcera & membra* verò *candentes prunas.* Et ſanè teſtatur experientia, ſi apertô ventre vivi animalis manum repente immiſerimus, tantum ſentiri calorem, ut vix perferre ſine dolore posſimus.

§. LII.

Et hæc qvidem omnia ſenſuum teſtimoniô videntur conſtare. Ex qvibus verò num pateat, *etiam aliis qvibusdam coctionem effici*, meritò dubitamus: ſanè enim non patet æqvè certò. Nam qvod *calorem adſumtorum alimentorum* attinet, iſte ſi qvid agit, non agit, niſi priùs à calido ambientis fuerit excitatus & auctus. Experimur enim, licet qvoqve calidisſima fuerint adſumta, ea tamen non digeri, ſi ventriculus fuerit frigidior. Ut ita *coctionis cauſa* potiùs ſtatuendum ſit *calidum ventriculi*, qvàm *ciborum vel potus.* Nec obſtat, qvod *coctio* aliàs, ab ipſo etiam Ariſtotele *IV. meteor. cap. II.* à *calore interno* deducatur, qvando definitur τελείωσις ὑπὸ τοῦ φυσικοῦ καὶ οἰκείου θερμοῦ ἐκ τῶν ἀντικειμένων παθητικῶν. Etenim hoc in *maturatione* ſaltim evenit, cui ideò etiam conſentientibus communiter Doctoribus nomen id *primò* competit. In *elixationis* verò definitione expresſè poni *calorem humidi ambientis*, liqvet ex iis, qvæ *ſuprà §. XLVI.* adduximus. Inde ſi *efficiens* id eſt, ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς ἡ πρώτη, *unde eſt principium mutationis primum*, (uti qvidem definitur ab Ariſtotele *II. Phyſ. t. 28.*) ſanè *calidum ventriculi* dicendum erit

coctionis efficiens ſimpliciter. Ridiculusqve hîc eſt Kergerus, qvando inverſô qvaſi ordine *calorem externum* ſaltim inter *adjuvantia* numerat, *efficientia* verò *principalia* conſtituit *formas ciborum ſubjugatas.* Qvæ opinio qvidem cùm aliàs etiam nitatur abſurdis illis de *varietate formarum* doctrinis, qvas Jo. Sperlingius *Inſtit. Phyſ. Lib. I. cap. III.* propoſuit, vix meretur nunc nominari.

§. LIII.

An autem cooperetur & concurrat præterea *præſens vel advectum fermentum qvoddam*, uti plurimos recentiorum tradere diximus, operoſior eſt disqviſitio. In qvâ verò id cumprimis notandum, ſi etiam hîc in teſtimonium advocandi ſenſus fuerint, minimè conſtare, qvod *aliunde feratur in ventriculum qvid liqvidi.* Neqve enim vel *vena*, vel *canalis alius* ipſius corpus pertundit, & ad *cavum usqve*, qvô coqvuntur alimenta, ideoqve etiam præſens fermentum eſſe deberet, penetrat. *Vas* enim *breve* tàm *venoſum* qvàm *arterioſum*, itemqve *arteriæ cœliacæ*, qvæ vulgo ita dicuntur, ſaltim *in ventriculi tunicas* abeunt, in ipſum autem cavum nihil eructant. Ut taceamus, *acidum tale* nec vel in *illis*, vel in *liene*, vel *alibi*, unde tamen hauriri volunt, deprehendi, *venas* etiam *nihil ad ventriculum adducere, ſed ſangvinem potiùs revehere*, ut in hiſtoria *circulationis ſangvinis* uberiùs oſtenditur. Similiter etiam πόροι χοληδόχοι non *ventriculum*, ſed *inteſtinum duodenum* adeunt. Ad ventriculum autem procul dubio duxiſſet eos natura, ſiqvidem bilis ad coctionem eſſet neceſſaria. Dicere verò, *adſcendere, & regurgitare qvaſi bilem*, uti pariter experientiæ non reſpondet, ſic contradicit potiùs *Naturæ providentiæ ac prudentiæ* illi, qvam ſummoperè prædicare aliàs eruditi ſolent. Ut taceamus, qvod Galenus *V. de uſu part. cap. IV.* non inſcitè diſputat, *flavam bilem noxiam eſſe alimentorum coctioni, & ventriculum ſubvertere.* Unde & Cabrolius obſervavit, qvibuscunqve fortè ex naturæ erratô & vitioſâ conformatione meatus bilarius *ventriculi fundo* inſertus fuit, eos utplurimùm πικρόχολους ἄνω fuiſſe, referente Jo. Riolano *Anthropogr. Lib. II. cap. XXII.* apud qvem, ut & B. Schel-

Schelhammerum noſtrum *l. cit. cap. V.* de hoc argumento videri posſunt plura.

§. LIV.

Qvod ſi igitur eſt aliqvod fermentum in ventriculo, ex alio membro ſanè advectum non eſt. Unde omnibus probabiliores videntur, qvi putant, *ineſſe ipſimet ventriculo qvoddam fermentum: hocqve ſtatim à nativitate, & ſic qvaſi connatum, renovatum verò ſemper ex ipſis alimentis adſumtis.* Nam his modò experientia conſenſerit, ratio etiam minimè contradicet. Neqve enim negabitur ſic, qvod ſuprà probavimus, *calidum ventriculi esſe coctionis efficientem.* Sed ſeqvetur ſolummodò, *ingeſtis in ventriculum alimentis jungi in eo detentum fermentum, eoqve adjuvante digeſtionem fieri.* Et qvidem qvoniam *ſalem* conſtat ex contactu ignis maxumè æſtuare, ſi *ſalinum* fermentum iſtud fuerit, fieri poterit, ut ejus conjunctione citiùs ſolvantur, & coqvantur alimenta. Si verò *acidum* fuerit, (uti plures adſerunt) eadem præſtabit, ſuâqve penetratione incidet ac disſolvet ſolida qvævis. Ut enim verisſimè Wallæus *l. cit.* ait, *experimur, ventriculum cibi mole aut craſſitie gravatum adſumto aceto, ſucco citri, oleo ſulphuris, aut vitriolo, levamen ſentire.* Qvæ qvidem omnia, nondum fortè ſatis cognita, ulteriori curioſiorum inqviſitioni atqve judicio remittuntur.

§. LV.

Sicuti verò ab hoc efficiente producitur chylus, ita idem etiam eſt *cauſa omnium, qvæ ipſi inſunt.* De qvibus qvalitatibus aliàs itidem controverti videmus, & cumprimis de *albedine*, utpote qvam eô magis mirantur, qvod *ex variorum colorum alimentis* producatur chylus. Communi verò ſententiâ in Scholis Galenicis traditur, ſicut *omnes humores membrorum, in qvibus fiunt, colores referunt*, ſic & *chyli albedinem esſe albedini tunicarum ventriculi adſcribendam.* Qvaſi nempe *naturalis ventriculi facultas agat in alimenta eô fine, ut hæc in ſuccum ſibi ſimilem transmutet!* Ubi verò meritò qvis qvæſierit, ſi inde eſt *albedo*, unde ſint qvalitates chyli aliæ, *tenuitas, lividitas, & dulcedo?* Neqve enim harum aliqvam in ventri-

 culo

culo eſt obſervare. Proinde ineptè in *ſimili qvalitate ventriculi* qværetur cauſa, ſed dependebit tùm *albedo*, tùm &, qvas nunc memoravimus, *tenuitas*, *liqviditas ac dulcedo chyli à calido*, qvod miſcet, temperat, ſubigit & terminat qvalitates coctorum alimentorum. Qvemadmodum ſcilicet à *primarum qvalitatum tactilium variâ mixtione omnes alias ſenſiles oriri*, in Scholis Peripaticis loculenter oſtenditur, hîc verò explicare, noſtrum inſtitutum non fert.

§. LVI.

Cæterùm *chylum huncce* parat & efficit ventriculus non ſibi, ſed *communi totius corporis bono*. Sicut enim nutritionis gratiâ adſumit animal alimenta, ubi verò nulla adſumit, emaciatis & langveſcentibus ſenſim partibus deniqve totum perit: ſic ex alimentis mutatis chylus, ex hoc verò poſtmodum omnes humores fiunt, qvicumqve ſunt in corpore, & vel ad nutritionem, vel ad uſum aliqvem alium faciunt. Ut adeò verisſimè *ventriculus* ſit ταμεῖον τῆς τροφῆς, *alimenti promtuarium*, ut à Galeno *I. de ſympt. cauſ. cap. VII.* fuit dictus, qvin ſit, uti Hippocrates *Librô* περὶ χυμῶν, & Ariſtoteles *II. de part. animal. c. III. & Lib. IV. cap. IV.* cenſuere, ἀντὶ γῆς, ἐξ ἧς δεῖ λαμβάνειν τροφὴν, *inſtar terræ, ex qva partes alimentum capiant oportet.* Unde qvod coxit ex ingeſtis alimentis, non ſibi ſervat: qvin nihil ejus ſervat, (fortè *pro ſui nutritione*, uti cum Galeno Arabum aliqvibus viſum fuit, & ex recentioribus Fr. Valleſio *Contr. Phil. & Med. Lib. I. cap. XIV. & Lib. II. cap. III.*) ſed omne & totum ex ſuo cavo iterum dimittit. Qvam ob cauſam *in cremorem verſa alimenta* videmus *per* πύλωρον (alterum ipſius os, anguſtius paulò, & in dextra parte corporis ſitum) *ebulliendô & adſcendendô abire in inteſtina*, perqve hæc *transeuntia* (ut benè Galenus *IV. de uſu part. cap. XVII.* ſenſit) *adhuc coqvi*, deinde verò ſolutâ qvaſi masſâ *colligi partem utilem, albam ac dulcem*, (qvæ *verus chylus* eſt) *inutilem verò*, qvaſi abesſe jusſam, *per valvulam*, tenuiorum inteſtinorum fini adpoſitam, *transmitti ad craſſa, & deniqve ejici.*

§. LVII.

Qvoniam verò, ut modò diximus, *communi totius corporis*

ris bono factus eſt *chylus*, non manere, ſed etiam *ex inteſtinis exire* debet. Oportet igitur (ut Philoſophi verbis utamur *II. de part. animal. c. III.*) *alia qvædam principia adesſe, qvarum operâ membra corporis omnia ex ventre ac inteſtinis*, ὥσπερ ἐκ φάτνης, *qvaſi ex præſepi, pabulum capiant.* Illa verò *principia, qvibus intercedentibus cibum adſumunt animalia*, ἕως τὸ τῆς ἐχομβρής πέψεως λάβη τέλος, *donec finem ſeqventis coctionis faciant*, ut iterum Philoſophus loqvitur, omnibus retrò ſeculis creditum fuit esſe *venas arteriasqve illas, qvæ per meſenterium ſparſæ ad ventriculum ac inteſtina tendunt*, indeqve dici vulgo ſolent *meſaraicæ*: hisqve ſic *transferri chylum*, & partem qvidem ejus ſtatim *ex ventriculo in lienem*, partem verò, eamqve majorem, *ex inteſtinis in epar*, nonnihil etiam *in dextrum cordis ſinum.* Cui opinioni, à variis licet variè interpolatæ, conſtanter (ſi hiſtoriis credendum) adhæſere omnes omnium Scholarum Doctores, donec benedicente ita Supremô omnium ſcientiarum auctore DEO, currentis hujus ſeculi Chriſtiani annô XXII. à Gaſp. Aſellio Anatomico Ticinenſi, in variis brutis obſervatæ fuere præter ſangvifluas iſtas etiam aliæ qvædam *venæ, teretes & exiles, inſtar tenuium candidorum funiculorum per omne meſenterium, & per inteſtina etiam infinitis propemodùm propaginibus diſperſæ.* Qvas ſcilicet *peculiaria vaſa* esſe, *eductioni atqve traductioni chyli dicata*, non modò ex *inſertione ipſarum in inteſtina, & per horum membranas tranſitu*, ſed & ex *ipſius chyli præſentia* certisſimè cognovit, ideoqve vocavit *venas lacteas*, & prolixô expoſuit commentariô, qvi Viri excellentisſimi felicitatem atqve induſtriam nullô non loqvetur tempore.

§. LVIII.

Etiamſi verò ab hôc primô earum inventore itidem *in epar vehi chylum* putatum fuerit, (qvô ſic conſenſit ex parte doctrinis Galenicis) procedente tamen tempore, & qvidem ante annos hos qvindecim, *venarum lactenarum terminum* cum æternâ nominis ſui famâ auxit produxitqve Joann. Pecqvetus Diepæus, Medicus Pariſienſis, ſectione plurium

bru-

brutorum expertus, *à venis lacteis Aſellianis*, ſive ab Aſellio agnitis, *prodire in meſenterio receptaculum qvoddam, omnem earum chylum recipiens, ex hocqve deinde ſurſum per thoracem ad ſubclavias ſerpere ductus chyliferos alios, donec intra venæ cavæ caudicem adſcendentem circa jugulares externas mixtus chylus cum ſangvine, communi tum demum alveo in cordis voraginem, muricandus, & in alimentarem ſubſtantiam mutandus præcipitet.* Qvos chyli ductus poſtmodum non in vivis ſaltim *brutis*, ſed & in *cadaveribus humanis*, paucis poſt animæ ſeceſſum horis apertis, (in qvalibus antidhac etiam Aſellianas iſtas viderunt Amſtelodami Nic. Tulpius, Patavii Jo. Veslingius, Venetiis Cæcil. Folius, Pariſiis Pereiſcius & Petr. Gasſendus, alibiqve alii) inqviſivit, & itidem ad votum invenit Illuſtris Thomas Bartholinus, Hafniæ Danorum Profesſor Regius & honorarius honore immortali dignisſimus, qvi etiam *diverſam illorum fabricam in brutis & hominibus*, ut & *in variorum generum brutis* notavit, qvemadmodum ejus ſcripta anatomica varia, hactenus luci commisſa, docent. Ut adeò nunc certisſimum ſit, *altiùs ad thoracem adduci chylum, & in homine ramo ſubclavio infundi, cumqve ſangvine ipſum cor ingredi.* Id qvod ſcilicet iſtorum Anteceſſorum laudatisſimis exemplis incitati obſervârunt qvoqve plures alii. Qvi qvemadmodum toti in eo ſunt, ut nova hæc reperta uberiùs confirment, illuſtrent, atqve à dubiis, qvæ ab aliis etiamnum disſentientibus moventur, vindicent, ſic qvidam cum modò laudatô Bartholinô ſperant, fore, ut tandem etiam *ductuum chyliferorum propagationes ad mammas ac uterum*, pateſcant: cùm notum ſit, jam olim Auctorem *Libri de naturâ pueri*, Marineum, & alios, multos etiam ex ultimis hisce ſeculis tradidisſe, *chylum esſe* tùm *lactis materiam*, tùm & *nutrimentum fœtus.* Qvorum qvidem votis meritò noſtra jungimus, & ut honeſtisſimis conatibus fortuna benignior porrò adſit, precamur.

§. LIX.

Ex his igitur abundè conſtat, *cujus gratiâ ſit chylus.* Eſt nempe *propter nutritionem*, & conſeqventer etiam propter

cætera

*era cuncta, qvæ ſine nutritione in corpore esſe vel peragi ne-
runt.* Qvem finem qvidem ſi *cæteris cauſis*, qvas hactenus e-
meravimus, junxerimus, non obſcurè videtur patere tota
i ratio vel natura. Si enim conſtat, *cujus gratiâ* ſit & *qva-
it, dum ejus gratia eſt*, neqvit ulteriùs latere, qvis ſit in ipsô
ος τῆς ἐσίας, utpote ad qvem aliàs pertinere dicuntur
ia, qvæ definitionem & primum conceptum ingrediuntur.
ô de verò judicium eruditioribus remittentes, DEOqve
OPT. MAX. pro concesſis viribus gratias agentes,
nunc tandem
FINIMUS.

Præſtantisſimo Juveni, & elegantisſimæ de CHYLO Disputationis Auctori doctisſimo, Dn. PHILIPPO MARCO MARCI, Inqvilino amicisſimo:

Docti, non crudi ſtudii teſtis CHYLUS hic eſt:
Perfectum, pergas, hinc Tibi ſurget opus,

ſic adplaudebam
CASP. POSNER, Praeſes.

---

clute MARCE, ſacrâ multùm quem Pallas olivâ
utriit, & tenero formavit pollice Phœbus;
nc gratare Tibi, tantos nunc adſpice fructus,
os tibi Pœoniæ promit labor improbus artis,
anqvam è Matris Cybeles prædivite cornu
Patriæ, propriosqve lares (gaudeto) refundit.
lor? an expectat multo Te Patria niſu,
qve Tui doctæ jam tum ſacra pharmaca dextræ,
tituas tremulas vires in priſtina, anhelat?
modò Te totum ſecretis abdito Coi,
poraqve indignis firma nutantia morbis,

Atqve Machaonio graſſare in vulnera ferro;
Diraqvè ſic Clothus truculentæ fila morando
Sperato Orcivum defrauda Porthmea naulo.
Sic qvoqve mox Clariâ redimitus timpora lauru,
Et ſimul à tenerâ decoratus Cypride myrto
Splendidus incedes celebrata per ora virorum.
Tunc ego de Paphio defigens ære tropæum,
Ac ſtatuam vitæ Pario de marmore teſtem,
Tale Tibi puro modulabor gutture carmen,
Olim Cecropicasqve Palatinasqve Locrasqve
Atqve Agrigentinas numeris qvod mulceat umbras.

Sic Tibi à Tua

M. Georg. Trinckhuſio.

QVisqvis apud doctos qværit memorabile nomen,
Illum non pigeat magnos tentare labores:
Nocturnâ verſare manu, verſare diurnâ
Libros; Phœbeas didiciſſe fideliter artes.
Hæc præclara Tibi mens eſt, Svaviſſime Amice,
Hoc opus, hic labor eſt Tuus arduus, inde perennis
Semper honos, nomenqve Tuum, laudesqve manebunt.

Eximio atqve Eruditiſſ. Dn. Philippo Marco Marci, *Amico atqve contubernali ſuo dilecto, eruditæ disputationis Auctori, gratulab. adpoſ.*

Johann. Albertus Harſchleben/Med. Cand.

MArtius optatus rediens eſt nuncius anni
Verni, qvo faciem reddit Apollo ſolo.
Martius hic terram glacialem à frigore ſolvit;
Jam redeunt flores, arboreæqve comæ.
Triſtia cum qvævis ſtarent & cuncta jacerent
Marcida per brumam, jam modo cuncta virent.
Nil jam marceſcit. Num Tu marceſcere Marce
Marci jam velles? Non ita: Marcor abeſt.

Mar-

arcor abeſt: Felix nam primo vere vireſcis
Egregiè. Marci, perge virere diu:
non marceſcit Tua fama; ſed omne vigebit
Tempus: Sic, Marci, creſce, vireqve, precor.

Hæc Amico ſuo fraterno adjicere debuit
Jac. Nicolaus Moſe, Phil. & SS. Theol. Stud.

E ſolitum ſtudiis, mi Marci, fallere noctes,
Nunc palmis prenſis, magni comitantur honores.
precor ex animo, cæpto favor Ætheris adſit,
odqve Tibi meruit virtus, congrator & opto.

Summæ amicitiæ & officii cauſa hæc pauca fraterno ſuo Amico ſcribit
Gothof. Auguſtus Everharti, L.L. Stud.

Es Tibi ſunt Medicæ, Marci cariſſime, curæ;
Hinc illas doctè digeris ore Tuo.
licet hæc ſtudii vigilanter ſigna peracti
Sunt; hic Te vigilem comprobat eſſe labor.
rge Tuis ſtudiis ſic invigilare, labore
Exhauſto Muſæ præmia digna ferent.

Sic Amico ſuo fraterno gratulari voluit, debuit
Guntherus Heinricus Everharti, Jur. Cult.

---

cut apis ſylvas camposqve æſtate peragrat,
Lætis ex pratis dulcia mella legens;
& Muſarum flores conqviris Amice,
Unde Tibi mellis ſplendida meſſis erit.
go Tibi grator lingvis animisqve precando,
Sit porro ſtudiis norma Jehova Tuis.

Sic Pereximio ac Præſtantiſſimo Dn. Reſpondenti, Fautori atqve Amico ſuo honoratiſſimo gratul.
Chriſtianus Valerianus Wolfius, Phil. & SS. Theol. Stud.

FINIS.